DE JOANNIS BARCLAII ARGENIDE THESIM ...

Léon Boucher

DE JOANNIS BARCLAII

ARGENIDE

VERSALIIS. — EX TYPIS CERF ET FILII, VIA DICTA DU PLESSIS, N° 59

DE JOANNIS BARCLAII

ARGENIDE

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

LÉON BOUCHER
Olim in Argentoratensi Gymnasio professor.

PARISIIS
APUD SANDOZ ET FISCHBACHER
VIA DICTA DE SEINE, N° 33

MDCCCLXXIV

PROŒMIUM

Ab ætatis suæ scriptoribus valde laudata, recentioribus vero pæne ignota, quidquid extremum in rei litterariæ fortuna sit, Barclaii Argenis subiisse videtur. Cujus vix editæ quum adeo fama percrebuisset ut latini sermonis fines transgressa, in diversas Europæ linguas citissime conversa et splendidissimis doctorum virorum ubique laudibus cumulata, non indigna crederetur quæ locum obtineret inter absoluta illa venerandæ antiquitatis volumina, veterumque scriptis æquaretur, ita paulatim, labentibus annis, ex hominum memoria excidit ut non pauciores hodie invenias qui Argenidem quam qui Barclaium omnino nesciant. Utrum vero cum Barclaio male fata ista egerint, an potius illius memoriæ consuluerint, quum opus ipsum alta oblivione supprimi paterentur, haud facile asse-

verare ausim. Nulli tamen, dummodo attento animo Argenidem perlegerit, nimia scriptoris admiratione peccare videbor, si hoc opus contendam non meruisse ut e tanto gloriæ fastigio in tantum contemptum postea descenderet.

Hæc præcipua mihi causa fuit cur librum olim celeberrimum, non sine quadam voluptate perlectum, penitus perscrutari, ejusque virtutes, si quæ sint, in lucem proferre, quanquam haud levissimo forsan impar oneri, aggrederer. Pretium enim operæ futurum esse judicavi si, fabulæ ambagibus breviter expositis, quid novo isto scriptionis genere, cujus nulla sunt apud Latinos exempla, proposuerit Barclaius, anquirerem, falsasque Argenidis interpretationes amoverem, paucissima prius de scriptoris vita minoribusque scriptis præfatus.

DE JOANNIS BARCLAII
ARGENIDE

CAPUT I.

De Joannis Barclaii vita.

Non multa quidem de Joannis Barclaii vita tradita habemus, licet plurimi illius indolem, mores, ingenium et studia, haud satis certis testimoniis, indagare conati sint. Inter quos Nicius Erythræus [1], Menagius [2], Laurentius Crassus [3], Imperialis [4], Freherus [5] et Franciscus Pona [6], no-

[1] *Pinacotheca imaginum illustrium, doctrinæ vel ingenii laude virorum, qui, auctore superstite, diem suum obierunt*. Lipsiæ, 1692.
[2] *Vita Petri Ærodii*. Parisiis, 1675.
[3] *Elogii d'huomini letterati* scritti da LORENZO CRASSO. In Venetia, MDCLXVI.
[4] *Musæum historicum et physicum* JOANNIS IMPERIALIS PHIL. ET MED. VICENTINI. Venetiis, MDCXL.
[5] D. PAULI FREHERI MED. NORIB. *Theatrum virorum eruditione clarorum*. Noribergæ, MDCLXXXVIII.
[6] FRANCESCO PONA. *L'Argenide*. In Venetia, 1634.

minandi sunt. Hos omnes assecutus, refutatis quæ parum fide digna tradebantur, incredibili doctrina vir Baylius, quidquid paulo certius esset in tali re attulisse ita mihi videtur ut eum ducem magna ex parte elegerim.

Mussipontis natus, anno millesimo quingentesimo octogesimo et secundo, patrem habuit Barclaius noster Guglielmum Barclaium, ex antiqua Scotorum familia ortum, qui, quum, ut verisimile est, patriam civili tumultu æstuantem religionumque dissidiis vexatam, et litterarum omne commercium neglectum ægre tulisset, Lutetiam migraverat, et, postquam Avarici Cujacium de jure docentem per aliquot annos audierat, ab eo jurisprudentiæ doctor erat renuntiatus. Mox autem, Carolo Primo Lotharingiæ duce suadente, in Academia Mussipontana, quam princeps nuperrime instituerat ne clerici lutheranorum numerum augerent rerum novarum illecebris allecti, juris scientiam professurus Mussipontem accessit.

Ibi cum Anna de Malavilla, haud ignobili genere femina, nuptiis contractis, puerum suscepit Joannem Barclaium, eumque Patribus Societatis Jesu erudiendum tradidit, qui, quum in adolescente summam esse ingenii docilitatem animad-

verterent, omnem dederunt operam ut in suo eum numero haberent. Huic consilio pater, jam antea Jesuitis propter dignitatis titulique cujusdam contentionem infensus, obstitit, istorumque inimicitiis lacessitus in Angliam se conferre decrevit. Magna enim in spe erat apud Jacobum regem, et ipsum non ineruditum, locum bonis artibus fore. Non primum eventus G. Barclaium falsum habuit; nempe immerito regi Jacobo crimini daretur quod non comiter inter familiarissimos jurisconsultum exceperit. Imo contra rex eum a secretis esse jussit, licet lege sancitum fuisset ne quis hujus religionis fautor, cui constanti studio fuerat addictus, hoc amplissimo munere fungeretur. Adde quod G. Barclaii filius regalem favorem et captaverat et sibi conciliaverat quod Jacobum, novum principatum inchoantem, poemate celebraverat et librum suum, qui dicitur *Euphormio*, regis, cui dicatus fuerat, patrocinio tuebatur. Excellentis ingenii spes et fructus jam maturi adeo grata fuere principi ut jusserit poetam omnia summa sperare, dummodo regia non emigraret ex aula. Verum pater, metuens ne juvenis, in ætate lubrica novæ religionis blanditiis captus a pristina fide descisceret, hunc secum in Galliam abduxit. Huc advectus, exspectavit

donec sibi fortuna secunda adspiraret, et primariam, in urbis Andegavæ gymnasio, juris civilis cathedram obtinuit; nec minimam, utpote qui doctissimus fuerit, per aliquot annos laudem sibi peperit. Tunc autem, edito libro cui titulus *De regno et regali potestate adversus Buchananum, Brudum, Boucherium et reliquos monarchomachos*, paulo post diem suum obiit, vir minime contemnendus, sive ad scientiam, sive ad dialecticam respicias, quique singulari documento constantiæ, intactam, turbida ætate, quam de regum jure semel susceperat opinionem usque ad finem vitæ servavit, nec doctrinam mutato cœlo mutavit. Postquam enim plebis potentia in Scotia sua catholicam religionem, in Gallia vero hœresim [redacted] maxime affligi viderat, pristina de sententia non decessit, et regiæ potestatis ubique sese patronum, propria utilitate posthabita, præbere non destitit.

Patre mortuo (1605), Barclaius, quum, si Erythræo credendum, jurisprudentiæ studia spinosiora atque ab omni fere delectatione vacua comperisset, seque jam ad satiram scribendam, non sine hominum laude convertisset, præstanti ingenio indulgere litterisque inservire decrevit, periculosam, id temporis, rem ausus paucissimis-

que bene cessuram, atque *Euphormionis* alteram partem exaravit. Lutetiam deinde petiit, et postquam filiam quæstoris cujusdam militiæ gallicæ[1] uxorem duxerat, in Angliam se contulit. Quibus autem consiliis Jacobum regem iterum adire destinaverit, quove dignitatis gradu decem circiter annos apud eum degerit, non satis constat. Incertus quidam scriptor, cui nescio an fides omnino adhibenda sit, narravit Barclaium, Jacobi munificentia exceptum et in lecta nobilium centuria qui regio conclavi præerant constitutum, hujus nomine ad Rodolphum imperatorem atque ad Emmanuelem Philibertum Allobrogum ducem legationes obiisse, dum Erythræus, qui sane de Barclaii vita accuratissime disseruit, eum in intimam principis familiaritatem perductum, ab epistolis et consiliorum omnium participem habitum fuisse solum auctor est. Quin etiam fuerunt qui tradiderint Jacobum, Barclaii arte usum, ab illo auxilium sumpsisse ut libello cuidam a se scripto extremam manum imponeret. Ipse autem Barclaius in epistola dedicatoria *Iconis animorum* se sui regis domesticum appellat, et quum in prooemio libri cui titulus *Parænesis*

[1] Michel Débonnaire, trésorier des vieilles bandes.

ad Sectarios postea [1] Romæ prolati, vindicationem sui suscepisset, nihil de suis honoribus locutus, regis favorem ac benignitatem erga se modo commemoravit. At minime cuiquam in dubio esse potest eum in anglica aula principis amicitia usum esse, quam quum adolescens ob ingenii spem jam pridem esset expertus, ætate aliquanto maturior scriptis auxerat. De quibus, prius cetera quam expediam quæ ad ejus vitam pertineant, paucissima verba mihi facienda sunt.

Euphormionis Lusinini Satyricon [2], cujus singulæ partes per ordinem in Anglia editæ sunt, e duobus libris constat quibus Barclaius, Petronii Arbitri stylum imitatus, se ipsum sub Euphormionis nomine, principes vero optimatesque aliquot temporis sui sub fictis nominibus expressit, atque eorum vel vitiis, vel virtutibus expositis, aularum mores et ætatis instituta quædam adumbrare, et petulanti dicendi genere perstringere conatus est. Ampla quidem materies erat et admodum adolescenti scriptori vix complectenda. Multa tamen apud Euphormionem penitus cogitata,

[1] Joannis Barclaii *Parænesis ad Sectarios.* Libri II. Romæ, ex typographia Bartholomæi Zannetti, MDCXVII.

[2] Euphormionis Lusinini sive Joannis Barclaii *Satyricon* partes quinque cum clavi. Amstelodami, ex officina Elzeviriana, 1658.

multa feliciter dicta, multa cum sale, multa cum lepore condita invenies, quanquam et non satis composita nimiumque effusa multa reprehendas, et obscuriora quam ut adhuc placere queant. Quum enim privatis odiis morem gereret Barclaius, prioris libri bonam partem in irridendum Callionem id est Carolum Lotharingiæ Ducem, consumpsit, in illius credulitatem arrogantiamque atque alia istiusmodi vitia jocatus, et Acignianorum, hoc est Jesuitarum, disciplinam, illecebras, deliberataque in se consilia, vel ficta, vel sincera repræsentatione adhibita, vehementer insectatus est. Quod si tamen, prætermissis longis ambagibus, et Euphormionis variis fastidiosisque casibus, diversisque ad exemplum Petronii incantamentis, ad medullam operis, scilicet ad satiram attendere liceat, non mediocris morum speculator exstitisse Barclaius videbitur. Testis mihi altera illa voluminis pars in qua Euphormio longos post errores ad Ilium (Lutetiam Parisiorum), Protagonem (Henricum Quartum regem) et Fortunæ templum invisurus se confert, et aulicum vivendi genus procerumque notat indolem. Illic enim si quid homines imperii, pecuniæve, vel deliciarum cupidi deliquerunt, id notatur et quasi in tabula picta subjicitur

oculis. Traduntur a maritis uxores, venum eunt ipsa sacerdotia, ærariique publici custodes pretio corrumpuntur, dum litterarum studiosissimum quemque nemo curat. Iterum atque iterum recitatam cantilenam hoc esse haud abnuerim, sed adeo vividam Barclaius imaginem delineavit ut, quæ aut ipse viderit aut audierit, narrare videatur, sive Olympionis Casinæque probrosum connubium cavilletur, sive nocturnos grassatores Euphormionem e pervigilio cum sodalibus redeuntem invadentes inducat. Quod attinet ad Euphormionis feminæque nobilis cujusdam amores, simulati sint, necne, haud pronuntiaverim; ingenium certe Barclaii ad mores depingendos idoneum, artemque scribentis demonstrant. Si cui Barclaianum acumen non satis est probatum, Euphormionem comitetur et sollicitantium in atrio Doromisi (quisquis hoc nomine designetur) turbæ sese misceat :

« Plurimi mecum in atrio erant, et Doromisum cum libellulis expectabant. . . . . Ut vero sum in interiora perductus, omnia auro argentoque vibrantia insolitam aciem fefellere : majestas deinde locorum, et animus spe metuque perturbatus, quicquid prudentiæ conceperam, et verba, quibus ad Doromisum destinaveram

uti, pæne submovit. Ille in communi veste erat, et per triclinii spatia satis truci majestate ferebatur. Ego in genua decidi supplex, et, nisi quod precantis humilitas in contemptum transit, etiam vestigia ambulantis aut vultu aut pallio verrissem. At juvenis, cujus ego sermonem paulo ante captaveram, audacius ad Doromisum venit, osculatusque dextram tam felicem, lepidissimis verbis in hunc modum peroravit. « Et cœlestibus diis, et nostris destinatis regionibus parendum est. Felix quem servitus Deorum in veram libertatem asseruit. Ego Fortunæ Numen et potentiam Protagonis, teque dispensatorem utriusque, semper veris honoribus colui, semper in familiam vestram venire adnixus sum; certe non invita Fortuna, quæ mihi hoc symbolum ad te dedit, ut me in domum suam, et Protagonis clientelam adscriberes; et, ne gratis in tantam ascenderim sortem, utrique mille pondo optimi thuris annua devotione promitto. »

« Hæc effatus, occlusos diripuit sinus, extraxitque mirantibus nobis Deæ Fortunæ signum. Erat imago Protagonis, ex aurea planicie exsurgens, in cujus dextera parte scriptum erat *Decies* ; in sinistra vero *mille*. Nunquam humanior Doromisus, ut postea intelleximus, fuit. Certe por-

rexit juveni manum, et gratulatus est de indole, et ingenio, deque ceteris virtutibus quas omnes in hoc legerat auro; advocatoque scriba, publicis instrumentis sacerdotium cum tribunali dari jussit.

«Post hæc ego lentis passibus ad Doromisi latus veni, et, composito vultu, ne ipsum non timere viderer : Ego, inquam, minus explicabo meas dotes, quoniam vobis diis omnia patent. Ceterum industria mea perfeci, ne quis esset, cui Musæ profusius de artificiis suis dispensarent. Quæ res si me Protagoni, tuis auspiciis commendabit, et per hunc me Dea Fortuna respiciet, nihil majus mihi imputaverit Apollo, quam quod ipsi tam pretiosæ servitutis gratiam debeo. Audito ille artificii nomine, diutius hæsit, et quam artem profiterer, diligenti attentione quæsivit... Tunc ego, intellecto nominis errore, me modeste artificem esse negavi, aliquid nobilius parentum fortunam aperuisse mihi, et ingenium a vulgi sordibus secretum. Me litteris esse excultum, me naturæ humanitatem mitium studiorum disciplina expolivisse. Audito ille Scholastici nomine fastidioso, primum nutu aversatus est perorantem : ac modico deinde risu jam trepidum, jam pavitantem perstrinxit; et cum a seculi industria alienum

appellavisset : Existimaveras forte, inquit, ad ludimagistrum advenisse, qui tuis scientiis inter famem et argutias uteretur. Neque longius moratus, me, veluti atroci fulmine damnatum, et exanimi sopore marcentem, inter mussantem familiam meæque temeritatis accusatores reliquit.[1] » .

Non plurimum interest utrum ficta, an vera his verbis referre Barclaius in animo habuerit. Sufficit ut ad rerum humanarum similitudinem accesserit et venalem procerum indolem expresserit. Multa quidem ex aliis locis similia eligi possent quibus, satiræ libertate usus, hominum animorumque varios habitus effinxerit, et scriptores quum veterum tum recentiorum temporum æmulatus [redacted], qui, eadem dicendi ratione, nomen sibi fecerunt. Imo, majus nescio quid ausus, politicam rem attingere non dubitavit; et, poeticam sane licentiam usurpans, sub levi nominum prætextu, Philippum Secundum Hispaniæ regem scelerum conscientia exagitatum, umbramque Ducis Albani pœnas feritatis dantem et ab Egmondano Comite laceratam, in scenam adduxit.

[1] Euphormionis Lusinini sive Joannis Barclaii *Satyricon*. Pars II, p. 165. Amstelodami, ex officina Elzeviriana, 1658.

Nil mirum igitur, ne multus sim, si Bosius [1] ita dicere potuerit : « acutissimus politicus Barclaius juvenis viginti annorum, sub Euphormionis nomine, ea prudentia et majestate omnium Europæ rerumpublicarum vitia et virtutes satirico sale perstrinxit, ut universum orbem in stuporem dederit ». Cujus quidem in sententiam sicut ire nolim, ita minime probaverim judicium Scaligeri dicentis :« Quanti Euphormionem Barclaii faciam, ex eo cognoscere potes quod vix sex folia ejus legere potuerim.» Est profecto maxima laude dignum opus illud, utpote quod juventutis petulantiam ætatisque magis jam firmatæ dotes denotet; sed nullo pacto fieri potest ut cum elegantissima Petronii satira comparetur cujus ad exemplar Barclaius se informavit et vestigia longe secutus est.

Censoribus autem quum Euphormionis Satyricon non caruisset, inter quos pessimus quidam, incerto nomine, scriptor calumniis auctorem libri lacessisset, Apologiam sibi componendam esse censuit Barclaius, quam Carolo Emmanueli Magno Duci Allobrogum dicatam, tertiam Euphormionis partem quidam esse voluerunt. Cujus summa erat ut propositum explicaret, conflatamque

[1] *Introductio in notit. rerump.*

in se undique invidiam dispelleret, pravasque submoveret interpretationes. Nam non æqua mente tulerant Jesuitæ in se factum impetum, nec « innocentem ludum » in iis viderant quæ de Acignianorum artibus machinisque narraverat, nec libenter juventutis venatores se appellari, temerataque secreta, arbitriumque familiarum callidissima insinuatione quæsitum sibi exprobrari audiebant. Non deerant quoque vel privati homines qui, stultissima confessione, imaginem suam in libello exponi quererentur, quique « velato capite », ut ipse dicit, in Barclaium invehērentur. Nescio an inimicorum iram placaverit et crimen expurgaverit Apologia ; quin imo vereor ne Barclaius vulnus priscum vulnere novo exacerbaverit, et censores ex inimicis fecerit inimicissimos. Nempe eodem quo Apologiam anno, nullo modo circumspectior factus, a patre scriptum librum, nec minus forsan offensionis habiturum edidit, cui titulus *De Potestate Papæ an et quatenus in Reges et Principes seculares jus et imperium habeat*. Quod quidem opus, quum secreto aggressus fuisset Guglielmus Barclaius, in aliud tempus emittendum reservaverat, metuens ne nimiam in se theologorum invidiam concitaret, filioque hereditarium

reliquerat. Res autem præter ejus opinionem non cecidit. Nam quum in hoc libro præsertim Guglielmus Barclaius operam insumeret ut Gregorium Septimum Bonifaciumque Octavum sibi jus, nullis aut divinis, aut humanis legibus ante concessum, in principes de rebus politicis arrogasse contenderet, nec sine magno catholicæ religionis damno aliter decerni posse arbitraretur, vel mortuus acerbissimam controversiam excivit, et Joannem Barclaium Bellarmino, patrocinium læsæ pontificalis majestatis suscipienti, obnoxium dedit. A quo vehementer exagitatus ille et in angustias adductus, pro domo sua, ut ita dicam, agere necesse habuit, et librum, repugnandi causa, in lucem protulit qui inscribitur : *Pietas sive publicæ pro regibus ac principibus et privatæ pro G. Barclaio parente vindiciæ contra Bellarminum.*

Longius profecto a proposito errarem si, quæ fuerint ultro citroque a Barclaio Bellarminoque de pontificalis imperii finibus disputata, perpenderem. Constat, plurimorum ut fert opinio, illum e certamine minorem evasisse, sive minus pugnaci concertatorioque isto dicendi genere delectaretur, sive civilium ecclesiasticarumque rerum scientia deficeretur. Meliore igitur consilio

usus est quum paulo post satiræ morumque descriptioni redditus, *Iconem animorum* Ludovico Tertio Decimo nostro dedicatam, emisit. Tum primum enim, omni larva exuta, quid de diversis Europæ gentibus hominumque moribus sentiret simpliciter declaravit, et acrem populorum imaginem expressit quos vel aliorum narratione vel privata consuetudine cognitos habebat. Exquisitæ subtilisque elegantiæ liber est, et scriptorum aliorum in hoc genere commentarios superat. Nam in illo non modo gravissimæ de juventutis institutione sententiæ, brevissimoque spatio contractæ reperiuntur, sed etiam proprius cujusque gentis habitus variaque mortalium indoles tam diligenter adumbrantur, ut nescio an quidquam sit solertius excogitatum jucundiusve dictum apud quemlibet ejusdem ætatis scriptorem. Ubi enim nostrates melius depinguntur, eorumque bonæ aut malæ artes callidius explicantur quam iis verbis quibus, si exempli gratia utatur hæc mea disputatio, veniam fore confido :

« Gens (gallica) armis strenua, sed equestri certamine melior, ignara perfidiæ.... Nullis mortalibus indoles ad speciem virilis elegantiæ magis facta. Oris intrepidi habitus, motusque, atque gestus, qui totum corpus decent. Et hic

decor virtutem ingentium virorum adornat, exiguis autem animis pro fuco est, ac veluti naturali munimento quo suam humilitatem abscondant, aut mitigent. Sic venuste compositi, qualemcunque vestitum de suæ mutationis infinita serie tanquam de inexhausto penu deprompserint, quocunque salutationis artificio corpus inflectant, putes nihil magis illa institutione convenire..... Ceterum nunquam orbis dignas gratias hospitali Galliæ habebit, quæ humanitatis templum videtur aperire, quo se omnium externorum fortuna conjiciat. Animum in hominibus, non patriam æstimat. Neque communi ceterarum regionum errore, in inquilinis ac advenis nascendi sortem punit. Ita candido simplicique amore virtutis eximios viros, qui undequaque prodierint, sine invidia miratur et sua opulentia gaudet augeri. Neque illic hospitibus dediscendi sunt patriæ suæ mores, aut ad Gallicam similitudinem flectendi, dum superbia absit aut inculta barbaries. Quippe ipsa veluti professione exteri moris sollicitabis curiosæ gentis studia simplicius peregrina, quam sua, æstimantis, etiam quædam vitæ, aut corporis vitia, si modo aliunde advehantur, trahentis in laudem. Nam et peregrini hominis eloquentiam vidimus crebro linguæ errore favorem

meruisse, et grandis opinionem scientiæ, quod non intelligeretur [1]. »

Minora nostra vitia, sed non minus tenacia, non prætermisit Barclaius, atque ita titulorum avidissimam gentem aculeis praestrinxit ut nuperrime hæc scripta fuisse videantur :

« At in Galliis hanc mutuæ utilitatis rationem non modo stirpes antiquæ aspernantur, sed et, quasi mercatores sui puderet, ubi illis largius fortuna indulsit, statim in aliam disciplinam filios suos agunt, jubentque majorem paterno fastigio scenam sperare. Et quidem magnitudinem Gallicorum animorum nullibi efficacius videas, quam in ambitu magistratuum, a quibus pervicax licitatio jamdiu egentium virtutes exclusit. Exhaurire familias, nomina facere, rem, fidemque consumere, decorum, dum inter æquales emineas vel sterili dignitate, vel pretio furtivorum munerum patrimonii ruinam reparante. Nec dubium, quin illa libido titulorum, nisi ipsa se frangat, curias, tribunalia, præfecturas, tandem sit viliori sanguine, angustisque animis, maculatura [2]. »

[1] J. Barclaii *Icon animorum*. Cap. III. Dresdæ et Lipsiæ 1733.
[2] Id. *ibid.*

Incusat et ille Gallorum leves animos, multis amplissimisque assentiens auctoribus, licet humaniores quidam judices aliter decreverint [1]. Quidquid id est, non nos Gallos decet a Barclaio judice provocare quum præsertim de indole et ingenio Britannorum et Germanorum acute et graviter existimaverit. Priorum enim « *gravem animum et in se velut ad consilium seductum* », ferociamque ita descripsit ut de imagine nihil longum tempus exemerit [2]. Posteriores autem quis neget ad historiæ fidem his verbis repræsentari ?

« Immensa cupiditas potus, jam confesso vitio, ideoque magis libero, illam gentem infestat. Nec ad voluptatem tantum hæc Thracica libido est, sed in parte comitatis, et pæne disciplinæ. Ve-

[1] Bodinus, *de Rep.* lib. V, cap. 2, levitatis causam ad temperamentum Gallorum, quod flava bile abundet, refert, neque levitatem, seu vitium, sed celeritatem agendi, seu virtutem appellat. Cujus sententiam quoque tueri videtur Scaliger (*Exotericarum exercitationum* lib. c. 167) : « Gallos, inquit, video ad omnia momenta vel eventuum vel disciplinarum promptos, paratos, versatiles ; ut semel quicquam vel visum, vel conditum, illico apud eorum ingenia et deponat, et amittat novitatem. In eo ipso penitus extemplo videntur nati atque educati. Qui animorum vigor igneus, maturaque celeritas, nulli alii nationi data est a natura. »

[2] *Iconem animorum*, immerito, ut opinor, conferri posse censuerunt nonnulli cum celeberrimo Goldsmith poemate cui titulus *Viator* (*The Traveller*).

nalis quorumdam principum gratia pretio tam infami, sive quærentium comites vitiorum, sive legatis advenisque hospitalem parantium mensam. Nam Germani nulla comitate suavius quam longo, nec sobrio, convivio peregrinos credunt excipi, et tunc verissimam ab ipsis hospitibus benevolentiam in se expromi, ubi mutuis poculis inundari non abnuunt. Id illic summa urbanitas, et coeuntibus prima [redacted] animis in fœderis locum [1]. » Scimus et, Barclaio doctiores, non amicorum modo istis pocula placuisse !

Locus hic vero de litteris nonne sale plenus ?

« Litteræ in multis locis cultæ inter homines minus sciendi avidos quam docendi. Plura quam legerint, scribunt, et suam famam ex voluminum quæ edunt numero aut magnitudine æstimant. Vis mentium ut opaca, ita ad æternitatem laborum est robusta, ut ceteri melius quidem scire, illi vero plura possint [2]. »

Per omnes Europæ populos percurrentem Barclaium et ex ordine de Italorum Belgarumque indole, de Hispanorum genio et moribus, deque Hungaris, Polonis, Turcisque disserentem non

[1] J. Barclaii *Icon animorum*, cap V. Dresdæ et Lipsiæ, 1733.

[2] Id., *ibid.*

sequar. Qui ne longo quidem satis curriculo contentus, priusquam libro finem imponeret, ad philosophiam moralem sese convertit et quid de animorum habitu, deque tyrannorum, et principum, aulicorumque affectibus et studiis sentiret, aperuit. Ex iis quæ in exemplum allata sunt conjici potest copiosam in *Icone animorum* et historicarum et moralium rerum studioso lectori præberi materiam, [redacted] magis libello isti ad hunc diem nocuisse quam quod latine scriptum esset.

Quum vario scripturæ genere ad aliquem famæ gradum provectus esset Barclaius, de Britannis subito se retulit (1616 vel 1617). Cujus autem consilii quæ causa fuerit, non liquet. Tradiderunt plurimi eum, pœnitentia desertæ catholicæ religionis a qua jam antea defecisse dicebatur [1], clam ex Anglia una cum uxore et filio se fuga

[1] Vide Joannis Eudæmonis Epistolam monitoriam ad J. Barclaium in qua arguitur ille regis nutu patris sui librum a Britannici evangelii ministris ad libidinem deformatum edidisse.

« At spe subinde rerum maximarum fretus in Angliam trajecit, ubi vesano consilio, ad conciliandam sibi regis ac despicabilis sæculi auram, ab orthodoxæ fidei gremio descivit, quam scriptis etiam exinde plurimis temere impugnavit. (IMPERIALIS *Musæum historicum*). »

« J. Barclaius post obitum patris ad regem Angliæ Jacobum VI, ab amicis excitus, eo se contulit, a fide pontificia ad evangelicam defecit..... » (FREHERI *Theatrum virorum eruditione clarorum*).

surripuisse. Hoc autem vehementer ipse negavit in præfatione libri cui titulus *Parænesis ad Sectarios*, adjecitque se nunquam apud regem furtivo vel timido more catholici viri munera obiisse, familiamque semper eadem disciplina imbutam fuisse; eam autem causam discessus habuisse ne nati, si quis casus aut se ipsum illis, aut sibi regem eripuisset, adempto privilegio quo externus frueretur, britannicæ religioni parere cogerentur. Præterea illius conscientiam premebat quod, patris edito libro, et in pravam partem accepto, ecclesiæ nonnihil detrimenti attulisset. « *Dolui igitur*, inquit, *et quod unum tunc licebat*, « *nolim factum* » *sæpe mecum repetii. Nec aliter agnoscere animus potuit quam si pedibus Sanc. Patris effusus, iramque deprecatus, ei totum me dedissem. Me Ecclesiæ filium memineram, primam illi pietatem deberi, et antiqui Patris verbis, errare me posse, hæreticum esse non posse. Sic apud me meditatam rem exsecutus sum, et successit*[1]. » Nihil vetat quominus talia de se profitenti Barclaio fidem adhibeamus. Attamen aliam omnino causam fuisse cur anglicam aulam desereret suspicor,

[1] *Parænesis ad Sectarios*. Romæ, 1617.

nec multum abest quin credam illum, quum se a Jacobo, libidinoso mobilique principe neglectum, vel minoris quam æquum esset, æstimatum arbitraretur, abeundi consilium iniisse. Minime vero absurda ea mihi videtur interpretatio carmen quoddam legenti, incerto tempore a Barclaio, dum in Britannia versaretur, conditum, in quo, ficto sub nomine Corydonis, poeta sortem suam lamentatur :

« Tertia jam silvas velavit frondibus æstas
Et toties nudis redierunt frigora campis,
Ex quo tristis, *inops*, sancta hæc altaria circum
Et te, Phœbe parens, et me per vota fatigo.
. . . .
Quid facerem? Possemne tuis discedere templis ?
O dolor! ad *patrias remearem inglorius oras* ?
Quicquid in has mecum vexi *trans cærula sedes*
Corrupit jam longa dies. . . . .
. . . .
Quid mihi quod toto luces pulcherrimus orbe,
Quodque regis musas, *tu musis doctior ipse*,
Si *mihi nec luces*, nec amas mea carmina, Phœbe ?
Justa queror. . . . .
Audiit, eque suis Phœbus pater annuit antris [1]. »

Quis autem ille Phœbus sit, *Musis doctior*, quisve Corydon ipse *trans cærula* vectus, non

[1] J. BARCLAII *Poematum* libri duo, Londini. Excudebat Edwardus Griffin, anno 1615.

multum ambigi potest, nec magno conatu opus est ut ex istis versibus intelligas Barclaium nescio quid a Jacobo desiderasse, sive fortunæ angustiis laboraret, sive parvi fieret apud aulicos. Inerat enim viro immensa laudum famæque cupido, sicut et ipse in Euphormionis Apologia testatur[1]. Id unum veritati adversatur quod Phœbus, vel potius Jacobus e suis non « annuit antris » et Corydonem proficisci passus est.

At Romam igitur devenit Barclaius ubi, quum propter varia scripta, clarum ejus nomen esset, ab omnibus humaniter exceptus est, et præcipue a summo pontifice, Paulo Quinto, quem antea de adventu suo certiorem fecerat[2]. Imo Bellarminus odium vel theologicum deponi posse documento fuit, qui eum comiter habuerit. Quod quidem eo magis mirandum videtur quod ipsius *Satyricon* et patris scripta eodem tempore Romæ prohibebantur. Nec moratus est Barclaius quin obsidem, sin minus fidei incorruptæ, saltem

[1] « Quum exercitam, inquit, primæ ætatis ambitionem de schola attulissem, cupiditas nominis et adolescentia, commune argumentum ad famam, acrem stylum obtulerunt. »

[2] « Urgeo profectionem meam quantum impedita mulierculis et infantibus familia sinit. »

Epistola J. Barclaii. *Argenis*. Lugd. Bat. Ex officina Francisci Hackii, anno 1659.

pœnitentiæ librum cui titulus P*arœnesis ad Sectarios* meliore voluntate, ut visum fuerit, quam successu evulgaret. Attamen utrum facilem quem speravisset vitæ cursum Romæ nactus [redacted], necne, in diversum trahunt auctores qui de Barclaio memoraverunt. Alii enim eum, bonis omnibus quibus sponte se exuerat amissis, magnifice a Paulo Quinto habitum, aque Matthæo Barberino opibus ac divitiis auctum fuisse tradunt; alii vero fraudatum honoris melio-risque status accesssione, humanæ cessisse iniquitati atque ad viridarii cultum confugisse haud satis certis indiciis contendunt[1]. Ceterum eum ab hominibus segregatum vixisse constat, nec sine quadam tristitiæ fama, omnemque curam libris colligendis plantisve colendis impertivisse. Nam quum ædes Vaticano proximas conductas haberet, adjunctum hortum lectissimis floribus conseverat, iis potissimum qui non ex seminibus, sed ex varii generis bulbis oriuntur, quibusque, ob novitatem, magnum pretium statim accesserat. Si vero Erythræo credendum, ne id quidem semper Barclaio successit; nam et ejus bulbi, ingenti pretio coempti, nocte quadam omnes

[1] F. Pona. *L'Argenide.*

ad unum eruti subreptique a furibus sunt, invitis molossis quos ibi in præsidio collocatos habebat, et flores ipsi mox eviluerunt. Nec planta quæ *virga aurea* vocatur, quamque calculi remedium in *Euphormione* pronuntiaverat, obstitit quominus calculi dolore, ætatis anno tricesimo nono Romæ absumeretur (1621). Quin etiam supremum illud gaudium a fortuna non concessum est, nempe ut *Argenidem* suam, optimum ingenii pignus, absolutam videret, cujus editioni dum Peireskius, jam antea summa necessitudine ei conjunctus, Parisiis extremam manum imponeret, diem obiit.

Honesto funere delatus est in templum Sanc. Honuphrii, in colle Janiculi quo sæpe, dum vivebat, aeris amœnitatem secutus se conferebat. At heres sepulcrum illi, in æde Sanc. Laurentis, via Tibertina, e marmore faciendum curavit, eique imaginem parentis, usque ad pectus, item e marmore scite factam apposuit ; de qua nescio quid insolens fertur. Quum enim sepulcrum omni ex parte huic simile Franciscus Barberinus magistro suo Bernardo excitavisset, uxor Barclaii, mulier tumido animo, statim viri sui imaginem detrahi ac domum suam afferri jussit « quod acciperet indigne eum cui ipsa nupta fuisset, generis splendore clarum, sed ingenii et

eruditionis fama clariorem, cum homine obscuro ac nullius fere ingenii, et, ut ipsa dicebat, pædagogo componi [1]. » Aliam causam imaginis istius amovendæ fuisse censet Imperialis, quam a Patribus sublatam ac deletam affirmat propterea quod Barclaium catholicam fidem non ex animo, verum dissimulanter profiteri suspicarentur. Difficile est in re tam incerta verum disquirere. Fieri potuit scilicet, sicut et ipse Baylius subjecit, ut, ex iis quæ litteris commisisset Barclaius, (libros enim aliquot tantum inchoatos de historia reliquerat[2]) eum hæreticum intimo corde vixisse apparuerit, et idcirco pœnas de tumulo fuisse sumptas. Forsan et sola muliebris jactantia causa fuit cur *Sanctæ Inquisitionis* judicium otiosi criminarentur. Rumor certe manavit, scriptoribus quibusdam circumlatus [3], Barclaium revera atheum, hujus hæreseos fautorem semper fuisse, cujus discipuli, gentium, inter quas versantur, religioni sese accommodant. Id autem scriptis ejus, faciant si fidem, exceptis iis quæ de religione composita sunt, neque omnino confirmari, neque satis refelli videtur. Et rem si ex veritate

[1] Nicius Erythræus.
[2] *De bello sacro* (Les croisades). Storie d'Europa.
[3] Lorenzo Crasso.

perpendere licet, Barclaius potius illis qui aliquanto ante *Politici* dicebantur quam philosophis annumerandus est. Nec opinionem hanc labefactari senties *Argenidis* pertractatione, de qua nunc demum dicere aggrediar.

CAPUT II.

De Argenidis dispositione.

Sexti decimi seculi res gestas quum in *Argenide* Barclaium figurata oratione descripsisse plurimi opinati sunt, fabulam paucissimis verbis contrahere, atque, ut ita dicam, narrationis ossa exponere supervacaneum non erit, ut inde quid libro significetur magis illustre sit.

Ex quinque partibus constat *Argenis*. Nec id tantum cum bene ordinatis tragœdiis commune habet. Nam, et ab initio in medias res trahimur, quarum hæc summa est. Meleander, mitissimi ingenii homo, Siciliæ rex, quum plus justo venatui indulserit, et immodice largitus sit, horrueritque a negotiis, Lycogenis insidiis obnoxium ipse se tradidit. Is autem, priscis regibus suæ stirpis auctoribus ferox, et nunquam secundi gradus satis patiens, Argenidem unicam Melean-

dri filiam totiusque regni heredem, in violentum conjugium rapere frustra adortus est, et, quum factione clientibusque valeret, civile bellum meditatus est, Oloodemo, Eristhene, Menocritoque præcipuarum provinciarum rectoribus cum eo consentientibus. Circa Meleandrum vero pauci erant et lævis aversisque animis. Juvenis tamen et externus princeps Poliarchus, Argenidis amore captus, se Meleandri partibus junxerat. Cui se socium addiderat Archombrotus, princeps et ipse, et mox rivalis futurus. Post incertum in Gelois campis prælium Lycogenes, per varias fallendi artes, Poliarcho perduellionis reo necessitatem imponit ut salutem in exsilio, non sine magno Argenidis dolore, quærat, pacemque sibi commodam a Meleandro obtinet. At Poliarchus, sumpto capillamento et veste degenere tectus, fanum Palladis, cujus aris pater Argenidem præfecerat, puellam supremum invisurus subit, atque ad eam lustralem ramum venientibus protendentem, gradus promovet, dum rex et Lycogenes mediam habent hostiam et sacra faciunt.

Sed quum novis motibus materiam quæreret Lycogenes, Meleander sibi regiæ dignitatis ultionem in animo esse uni Argenidi declarat : *si Lycogenes et factiosorum præcipui varia nego-*

tiorum specie cogi possent ad regiam, omnibus se judices et supplicia daturum. Huic rei Epeircten, munitissimam arcem, idoneam esse. Argenis igitur gratulata fortissimum patri consilium, cum Ibburrane, regis amico, Epeircten ex constituto proficiscitur. Ibi dum Archombrotus impotenti Argenidis amore torquetur, virgo regia, duplici sollicitudine cruciata, regno studet et Poliarcho absenti armillam comparat, quæ ut amanti deferatur Timonidi cuidam tradita, perfido ab Eristhene veneno imbuitur, mittiturque cum codicillis a Lycogene scriptis, in quibus amicitiam simulans iste, Meleandrum veneni arguit. Poliarchus autem, postquam eversa navi,in piraticum lembum receptus, piratas catenas sibi minantes immolaverat, et expilatum ab iis reginæ Mauritaniæ thesaurum ipsi reginæ reddiderat, destinatis a Lycogene perlectis litteris, ad Meleandrum Gelanorum comitem, qui regi perfidiam suam exprobraret, dimisit. Sed dum in Siciliam proficisci cogitat, vehementi morbo arcetur. Epeirctes vero, quum Gelanorus ad regem perductus perfidam Lycogenis epistolam tradidisset dolique detecti essent, magna facinoris invidia omnes incessit, et nefandi consilii participes Oloodemus Eristhenesque, rapti statim sunt in

carcerem, ut veneficii convicti idoneo supplicio, cicuta scilicet, conficerentur. Qua re iterum ad arma impulsus Lycogenes, jamque jura regni atque insignia usurpans, Ennam obsidione fatigatam capit et triumphantes copias totis campis effundit. Et jam in eo erat Meleander ut ad angustias reduceretur, quum Radirobanem Sardiniæ Baleariumque regem, antiquo hospitii jure Siciliæ regibus conjunctum cum classe auxiliisque adesse nuntiatur. Cujus adventu dum Siculi metum in spem vertunt, Lycogenisque exercitus pavore percelli incipit rebellium animos, nec frustra, sollicitat Meleander. Quin etiam felicissimum aliquid de Catana, ab Anaximandro Lycogenis nepote obsessa, narratur. Nempe Ætna subito æstuans igneos rivos evomuerat, et, quasi conducta opera, in Anaximandri castra fluxerat. Unus autem in communi gaudio mœrens Archombrotus, tertium æmulum Radirobanem oriturum præsagibat.

Attamen Lycogenes, provecta nocte, agmine bipartito Meleandri stationes adortus erat. Ingens conseritur prælium in quo Archombrotus, Meleandri postquam induerat insignia, qua pugnabat Lycogenes avide ruit subitoque amplexu ligatum eum sternit humi brevique pugione exanimat. Triumphus agitur et Meleander urbes

provinciasque ad majestatis reverentiam redeuntes accipit et meliora sperare jubet. Dum hæc gerebantur, turbabatur interior aula omnibus motibus qui amantium sequuntur æmulationes. Nam quum tempore convivii a Meleandro exceptus Radirobanes mentionem de fœderibus cum Argenide ineundis injecisset, respondissetque rex solerter liberam Argenidem esse neque ullis legibus cogi posse, ille dolis intentus, si de Selenissa, Argenidis alumna, bene meritus esset facilem de virgine fore victoriam arbitratus, misso munere anum corrupit. At prius in Argenidem quam instruantur machinæ, Selenissa miranti Radirobani « Archombrotum minime metuen-
» dum esse declarat, Poliarchum vero maxime,
» quem sub nomine virgineoque vestitu Theo-
» crinis latitantem ipsa olim adjunxerat Arge-
» nidi, virilem sexum cunctis ignorantibus ; inde
» Argenidi Poliarchoque amicitiæ, mox amoris
» initium ; Theocrinem autem, quum nocte qua-
» dam a Lycogene missos armatos homines vir-
» tute plus quam muliebri fugasset nomen suum
» Argenidi significassē atque ex arce declinasse
» per tenebras. Ea nusquam posthac reperta,
» ope Palladis factum credidisse Meleandrum
» quod in se filiamque suam insidiæ exitum nul-

» lum habuissent. Argenidemque, donec in ma-
» trimonium daretur, Deæ aris præfecisse. At
» Poliarchum remota larva in regiam venisse
» et furtiva cum virgine fœdera junxisse. Radi-
» robani vero non desperandum ; cogi velle Ar-
» genidem » edocet Selenissa, opemque suam promittit. Sed ille quum ad natalitiorum Argenidis anniversarium diem ex tota Sicilia concurreretur, vi potius quam eloquentia fretus, magnam pompam velut ad hunc diem commendandum parari jubet, adsit cui nemo non armis succinctus ; jamque filiæ patrisque raptui proximus erat, doli comperti quum exploduntur. Interea Poliarchus excussa quartana qua dudum laborabat, in Siciliam trajecerat, et Archombroti victoria quasi fulmine commotus, quid opus facto esset, multos inter singultus, cum Argenide clam agitaverat.

Nec meliore loco Meleandri res sitæ erant. Invidiosum enim is periculosumque simul arbitrabatur iram, licet justam, exercere in regem nuperrime de se, deque regno bene meritum, neque quo se verteret habebat, præsertim quum Radirobanes furens litteras ad illum miserit quibus quæ accepisset a Selenissa secreta vulgarentur, unaque Argenidis fama temeraretur. His perlectis Meleander curis obrutus, arcessi Selenis-

sam quæ conscia sceleris mortem præoccupaverat, atque ad Radirobanem referri jubet *furioso homini se respondere non posse*. Deinde de filiæ futura sorte sollicitus eam nullum conjugem Archombroto meliorem inventuram esse sibi persuadet. Quid autem Argenis? Vix sui compos paternorumque consiliorum patiens paululum intervalli postulat quo Poliarchum reducem fore confidit, et per Arsidam, spectatissimum nuntium, amanti scribit, nisi intra breve tempus redierit, se manibus non amplius temperaturam. Forte ita incidit ut Arsidas, quum in etrusco mari navigaret, a Gobrya quodam, gallicæ classis præfecto, humanissimo, ut videtur, neque litterarum græcarum nescio viro, captus et quis sit, quo eat, interrogatus, inter varios hilaresque sermones, longam rerum gallicarum seriem et ortum verumque nomen Poliarchi peropportune discit. Poliarchus enim, ait Gobryas, Britomandem, Galliæ regem, patrem, matremque Timandram habuit. Erat tum inter proceres potentissimus Commindorix, quippe qui regis nomine ipse regnaret. Quum autem Timandra, teneræ nati ætati istius insidias timeret, eum meditato furto subduci curavit et colono cuidam alendum commisit. Puer vero post diversos casus, inter re-

gias artes, nescio Commindorige, ab ipso Gobrya fuerat educatus, donec Britomandes filium civibus tandem restituerit. Ferro percussus scelerum pœnam dederat Commindorix. Juvenis tum paternis auspiciis regnaverat; sed postquam externis diis votum quoddam nuncupavisset, uno cum Gelanoro comite, nomine mentito habituque, Siciliam venerat atque ibi se Poliarchum appellari voluerat. Quo audito stupens Arsidas, dum Poliarchum eumdem se quærere profiteretur, in oram Siciliæ procella cum Gobrya jactatur. At Poliarchus eadem tempestate coactus in Mauritaniam appulerat. Ibi, inopino tumultu receptus, Hyanisben reginam sollicitudinibus anxiam atque omnia turbata invenit. Nam et litteras ab Archombroto filio de fœderibus cum Argenide ineundis acceperat Hyanisbe, et Radirobanem jamdudum Mauritaniam invadere meditantem infesta cum classe in diem adfuturum exspectabat. Misericordia tunc commotum, nec oblitum tamen Argenidis, Poliarchum extremam oranti opem tarde annuere puduit. Nec mora : præsidii causa instruuntur omnia. Numerosa cum classe supervenit Sardiniæ rex, oppressisque custodibus castris potitur. Mox post diversa prælia, Poliarchus et Radirobanes singuli pugnam conserunt in

qua victor ille, Radirobane jugulato, existit.

Dum Poliarchus vulneribus æger reficiebatur, Hyanisbes filius, codicillis acceptis quibus in patriam remeare jubebatur, mauretanico littori applicuerat. Quem quum Poliarchus neminem alium nisi Archombrotum esse agnoverit, negavit primum se in hostili domo diutius versari posse ; victus tamen reginæ lacrymis, ut ad tempus discordias cum æmulo componat, adducitur. Omnia illi bene cessura aperte significat Hyanisbe litterasque a se scriptas Meleandroque deferendas filio committit. Profectione igitur properata, in Siciliam appellunt Poliarchus Archombrotusque tanquam rixarum immemores, perveniuntque Meleandri ad aulam. Recitatur, populo stante, Hyanisbes epistola, et arcana consiliorum pervulgantur. Nempe Meleander quum Anuam, Hyanisbes sororem, primam quondam uxorem occulte duxisset, sibi ex ea natum fuisse filium ignorabat, quem, exstincta matre, educandum curaverat Mauritaniæ regina finxeratque esse suum. Hunc autem, Archombroti assumpto sub nomine Hiempsalem esse testabantur codicilli. Heredem regni restitutum Meleander, fratrem Argenis contemplatur ; nec quicquam amplius obstat quominus

Poliarcho, magna ob ejus in Siciliæ regem merita, plaudentibus aulicis, in matrimonio tandem locetur Argenis.

CAPUT III.

De Argenidis interpretatione.

Dicitur Barclaius, dum in Anglia versaretur, hortante Jacobo ut celeberrimi scriptoris britanni *Arcadiam* in latinum verteret, *Argenidem* scribere instituisse, se proprio cuidam [redacted] operi parem præbiturus. Novum profecto se aliquid scriptionis genus tentavisse, ipse prædicat in prima pagina libri Ludovico Tertio Decimo dedicati. Nec immerito ; nam si fabularum commenticiarum, latine modo scriptarum, quum veteres tum recentiores auctores in comparationem attuleris, senties nihil fere apud eos cum Barclaio esse commune, et tantum *Argenidem* ab Apuleii fabulis quantum ab *Utopia* Mori distare. Sed antequam quid sibi voluerit Barclaius perscrutemur, quid ab *Argenide* significari plurimi suspi-

cati sint, attendendum. Multis enim placitum est, et percrebuit opinio, sub fictis nominibus Barclaium in *Argenide* historicam rem attigisse, et Gallici regni motus civiliaque bella oratione figurata exprompsisse. Quorum si rationi fides adhibenda sit, de nominibus argenidæis minime ambigi potest. Nempe volunt a Poliarcho *Henricum Quartum*, a Meleandro *Henricum Tertium*, a Lycogene *Ducem Guisium*, a Britomande *Antonium Borbonium*, a Commindorige *Allobrogum Ducem*, ab Arsida *Ducem Bullionum*, a Radirobane *Hispaniarum regem*, a Sicilia *Galliæ regnum*, a Gallia *Navarram* significari, aliaque multa eodem modo interpretantur. Imo [redacted] quidem rem adducere timent, et communem omnium sensum pro nihilo ducunt ut fabulam aptent historiæ. Nam quum nullam Henrico Tertio fuisse stirpem constet, Argenidem vel « deficientem in Henri Tertio stirpem, vel » etiam alterum ab rege locum a tribus æmulis » Navarro, Alenssonio et Guisio callide petitum » esse contendunt. Poliarchus vero, quem Henricum Quartum referre dicunt, qui fit, ut simul Esparnonii Ducem referre possit ? Quid minus credibile rursum quam Poliarchum et Archombrotum, consiliis factisque diversos, uni personæ

attribuere, aut ex Aneroësto, Allobrogum rege, Poliarchi educatore, regnum vita solitaria mutante, Clementem VIII. Pontificem facere; aut Radirobani, principi juveni, præcipitibus consiliis obnoxio, pro tuenda regia majestate contra rebelles Meleandro auxilia ferenti, atque intra juventam in Africa cæso, Philippi Secundi, cautissimi prudentissimique senis personam inducere? Nec facta melius quam homines cum historia congruunt. Quis enim nescit Guisium, quem Lycogenem esse declarant, non in acie sed in ipso regii cubiculi ingressu, regis jussu confossum fuisse, et Philippi Secundi vel, ut aiunt, Radirobanis classem nunquam in Mauritaniam, qua Britanniam significari credunt, milites exposuisse, sed memorabili evanuisse naufragio? Quis Henricum Quartum in Poliarcho velit agnoscere, quum in Angliam eum nunquam transiisse constet, nisi quis Voltario poetæ credat? Quid autem de Hyanisbe, Mauritaniæ regina, Syphacis uxore, se prægnantem, sororis causa, fingente? En, illane est Elisabetha, in Britanno solio sedens regina, vestalique simillima, et præsertim gestiens talis haberi? Infinitum esset istiusmodi enumerare exempla contra rerum annales omnino repugnantia, quæ si quis respicere voluerit, minime

iis assentiri poterit qui fabulas tantum ad exactam historiæ fidem cogere conati sunt.

Non abnuerim tamen præcipuum id Barclaio fuisse ut, sub fabularum jucunditate, quid de politicis rebus sentiret exponere, et quasdam certorum hominum actiones historiasque nominum suorum simulacris aptare tentaret. Sed sicut non dubium est quin Guisii ceterorumque ex Lotharingica familia principum ambitio, Lycogenis, Oloodemique et Eristhenis personis exprimatur, Galliæque status sub Siciliæ nomine significetur, ita manifestum est in Lycogene non modo Guisium, sed et imperandi cupiditatem, factionumque malas artes exhiberi, multaque in Gallicum regnum cadere non posse quæ de Sicilia dicuntur. Quin etiam infitias ire nemo potest certissimis factis nominibusque sæpissime Barclaium allusisse. Perspicuum enim est *Merganiam* pro Germania, *Usinulcam* pro Calvino, *Ibburranem* pro Barberino, eodem verborum involucro, usurpari. In *Lydiis conjugibus* Conchinum Anchoriatanum Marchionem cum uxore Eleonora Galligaiæ, in *Phrygiis* autem Somerseti Comitem uxoremque libenter agnosco. Nec Calvini asseclas ex *Hyperephaniis* intelligi negaverim, licet quid hoc nomine in illos illudatur non satis appareat,

sive quasi *desuper illuminatos* sive *superbe opinantes*, ut Franciscus Pona censuerit [1], eos irridere voluerit auctor. Multa generis ejusdem incerta nimium habenda sunt. Nec per *Cleobulum* Villaregium, per *Timandram* Janam Albretiam, per *Gelanorum* Turennium, per *Eurymedem* Bironii Marescallum, per *Gobryam* Harlæum Sanciaci, per *Menocritum* Retii Marescallum, per *Oloodemum* Elbovii Ducem designari, asseverare ausim. Idem de quibusdam factis dici potest quæ in historiam satis quadrare visa sunt, nec tamen ex omni parte rerum cum memoria congruunt. Enimvero quum Henricum Quartum constet admodum puerum in aspero confragosoque Bearnani agri tractu duriter educatum fuisse, non sequitur ut Poliarchus, inter agrestes institutus formatusque, Bearnanum regem referre debeat. Nec *Selenissæ*, licet omnis astutiæ haud experti, Catharinæ Mediceæ partes assignare necesse est; nec ex eo quod, Lycogenis jussu, veneno imbuta armilla Poliarcho mittitur, medicea venena nominanda sunt. Adde quod si communem interpretationem sequaris, multa inter se collidi fatearis oportet. Pone enim, exempli gratia, a Me-

[1] Pona : *l'Argenide*. In Venetia, 1625.

leandro Henricum Tertium, a Radirobane Philippum Secundum exprimi, quid tum intelligi possit ex verbis quibus regum istorum congressus celebratur :

«Tandem ad navem scapha Meleandri applicuit; qui in paratos gradus enixus est admoto ad fulcienda vestigia Archombroto ; donec eo usque pervenit, ut tradere Radirobanes manum posset. Tum vero tanquam olim familiares coiere amplexibus ; et gratias agente Meleandro, quod is se adjutum voluisset, ille beneficium modestissimis verbis augebat. Pauca deinde inter se collocuti, hic ad salutationem Proceres Siciliæ, ille Sardiniæ, admisit. Am'cos, hospitesque appellabant. Mox et Radirobanes, nec rogatus, descendit in Meleandri scapham, qui se in navi prior, ejus potestati tradiderat. Personabat toto littore navibusque symphonia ; simulque militum et remigum clamor, celebrantium mutuam Regum fidem ; non ferro, non aggere, non custodibus tutos, simplici pietate, atque jure hospitii, inter se jucunde versari. O miseram sœpe potentiam, in qua raræ felicitatis est ad bona privatorum, nec suspecti commercii humanitatem, pervenire. Expositos in littore Reges rursus amplexus, rursus blanditiæ tenebant. Hinc Radirobanem, quum in prima

arena adorasset deos Siciliæ, Meleander illi exterior ad equos deduxit, qui haud procul utrumque expectabant. Inde amicis septi primum in urbem, deinde in arcem provecti sunt. Purpuratis Meleandri curæ fuit, ut Sardiniæ optimatibus illa vespera bene esset. Præbuere certatim hospitia, adeo omnis generis officiis cumulata, ut vix belli quod arduum instabat, meminisset hilaritas.[1] »

Nonne hic potius, mutatis nominibus, Henrici Tertii cum Henrico Quarto notissimum apud Turonum Plexitium colloquium paulo ornatius describitur? At Radirobanem Hispaniarum regem esse dicunt!

Britomandes vero, a quo Antonium Borbonium significari prædicant, Henrici Tertii effigiem fideliter referre nonne hic quoque videtur? :

« Haud multo plus sexdecim annis vixerat (Poliarchus), quum animum illi ac vires maturavisse visa sunt fata, ne omnes periremus. Quippe Commindorigem ex nimia copia fastidium ceperat nostri obsequii. Ultra bonorum patientiam sæviebat, scelere diuturno audacior, expertusque quam inulte Britomandes despici posset. Ad extremum nomen regium haud obscure optabat,

[1] J. Barclaii *Argenis*. Lugd. Bat. Ex officina Francisci Hackii. Anno 1659. Lib. II, c. 13.

clientum suorum vocibus in hac ambitione frequentibus ; ut dicerent, languescens sub Britomande imperium a strenuo homine excitandum. Plus regnum Commindorigi debiturum quam Commindorigem regno, si id ei placere auspicari. Parum interesse Britomandis ad regia munia inepti, ac præterea virili prole carentis, quo nomine appelletur. Commindorigem non solum ex prima nobilitate, sed præterea virum esse. Jamque haud procul ab exitu erant furiosa consilia. Dicebatur tyrannus agitare quo tutissime munimento Rex cum sua Timandra teneretur; quæ ad eorum victum vectigalia relinquenda, quis utrique comitatus, quæve custodia. Adeo denique despexerat jacentem Britomandem, ut perplexe auderet sciscitari, an relinquere ultro posset tam grave et molestum negotiis regium nomen. Quippe ratus multum sibi decessurum invidiæ. si id a volente impetravisset. [1] »

Mirabile est quomodo omnia hæc inter se congruant, Guisiorumque in regem « monachalem coronam » minitantium consilia designentur. Scilicet alterum Meleandrum, alterum et Lycogenem habemus.

[1] J. BARCLAII *Argenis*. Lib. IV. Cap. 12

Quæ cuncta aliaque similia utrum Barclaius cum rerum significatione quadam excogitaverit, an simpliciter ab iis colores petierit, non operæ pretium est quærere. Cavendum tamen ne unius et alterius leviculæ conjecturæ illecebris adducti, sexcenta quum repugnent alia, de rebus maxime incertis statuamus. Ex argenidæis nominibus factisque quæ ad historiam spectant, alia, vel paucissima, probabilia, alia vero quam plurima, minime verisimilia æstimari possunt De quibus quid Barclaius habuerit in animo, quærentium vanus labor esset, quum ne amici quidem scriptoris fide dignum aliquid tradere ausi sint.

Quid multa? Non hic, ut verba usurpem incerti cujusdam scriptoris de *Argenide* disserentis, « anxia scrupulosave opus est investigatione; applicationi duntaxat suus est locus. Sunt ergo quæ hoc opere continentur omnia trium generum. Nempe quædam certa omnino atque indubia; eaque talia ut auctoris mentem planam faciant, atque ad eorum quæ porro dicuntur, cognitionem penite inspecturo viam sternant: quædam etiam talia, ut qualiquali descriptione aut circumlocutióne res alioquin notas, quibusque in exemplum uti amat, leviter tegant; quædam talia ut ex compositione nominum Græca aut

Græcobarbara deprehendantur. Sunt quædam ex adverso prorsus incerta ; quædam denique inter utrumque media, quæ, si cum similibus nostri seculi rebus casibusve comparentur, nec omnino incerta judicari valeant, neque pro certis tamen, ob multijugam istam rerum, personarum, locorum, circumstantiarumque varietatem venditari.[1] »

Ceterum Barclaius se falsa veris miscuisse ut interpretum confunderentur consilia confessus est, et simul propositi libri significationem declaravit quum, in *Argenidis* secunda parte, Nicopompum, cujus sub persona latebat ipse, hujuscemodi verba facientem induxerit :

« Grandem fabulam historiæ instar ornabo. In ea miros exitus circumvolvam : arma, conjugia, cruorem, lætitiam, insperatis miscebo successibus. Oblectabit legentes insita mortalibus vanitas ; eoque studiosiores inveniam, quod non quasi docentem, severumque in manus accipient. Pascam animos contemplatione diversa, et veluti pictura locorum. Tum periculorum imagine excitabo misericordiam, metus, horrorem. Suspensos deinde sublevabo, serenusque diluam temqestates. Quos libebit fatis eripiam, fatis dabo. Novi nos-

[1] *Clavis in Argenidem*. Lugd. Bat. 1630.

trorum ingenia : quia nugari me credent, omnes habebo. Amabunt tanquam theatri aut arenæ spectaculum. Ita insinuato amore potionis, addam salubres herbas. Vitia effingam virtutesque; et præmia utrisque convenient. Dum legent, dum tanquam alienis irascentur, aut favebunt, occurrent sibi ipsis, agnoscentque objecto speculo speciem ac meritum suæ famæ. Forte pudebit eas partes diutius agere in scena hujus vitæ, quas sibi cognoscent ex merito contigisse in fabula. Et ne traductos se querantur, neminis imago simpliciter extabit. Dissimulandis illis multa inveniam quæ notatis convenire non poterunt. Mihi enim non sub religione historiæ scribenti libertas hæc erit. Sic vitia, non homines lædentur; nec cuiquam licebit indignari, nisi qui vexata flagitia in se turpi confessione recipiat. Præterea et imaginaria passim nomina excitabo; tantum ad sustinendas vitiorum virtutumque personas; ut tam erret qui omnia, quam qui nihil in illa scriptione exiget ad rerum gestarum veritatem [1]. »

Quid dignum tulerit tanto « promissor hiatu » Barclaius, infra videre vacabit. Hoc unum procerto existimandum est, eum fictas, quanquam et

[1] J. Barclaii. *Argenis*. Lugd. Bat. Ex officina Francisci Hackii. Anno 1659. Lib. II, C. 9.

verisimiles personas, fictosque eventus excogitavisse, quorum auxilio, narrationis amœnitate adjecta, quid de rerum publicarum administratione sentiendum, legentes doceret, novoque scripturæ genere tentato, heroicam simul, et, sit modo venia verbo, politicam fabulam exstruere voluisse.

CAPUT IV

De re politica in Argenide.

Rebellionis ingenium factiosorumque prætextum, postremo viam et modos quibus contumaces obrui possint, in *Argenide* depingere Barclaio consilium fuit. Is quum seculum, quo non alterum turbulentius, occidens, populorumque in reges motus religiosasque, civilibus atrociores, discordias, et notissimam conspirationem anglicanam contemplatus esset (quam quoque ab ipso narratam habemus [1]) quumque de rebus publicis secum commentari a puero consuevisset, in curriculum, ut ita dicam, iterum descendere, et, pro virili parte, periculosa, sicut existimabat, de plebis regumque mutuo jure præcepta refellere

[1] *Series patefacti divinitus parricidii, in ter maximum Regem regnumque Britanniæ cogitati et instructi.* Nonis IX bribus, MDCV.

decrevit. Non solum enim rebellione regna turbabantur, sed etiam documenta artesque rebellandi eo tempore, velut ex disciplina, tradebantur. Quid opus est Hotmanni *Franco-Galliam*, Langueti *Vindicias contra tyrannos*, Boetii *Voluntariam servitutem*, Buchanani de *Jure regni*, Bodini vero de *Republica* libros referre? Quid quod alios innumerabilesque proferam *monarchomachos* qui, arte scribendi sane minores, in regalem potestatem invehebantur, juraque regni funditus ut everterent, ab antiquissimis annalibus auxilium petebant? Trita hæc nimium sunt quam ut ad memoriam revocentur. Barclaio vero patrium quodam modo erat contrarias partes suscipere et sibi regum patrocinium assumere. Quod jam antea, flagrantibus adhuc istiusmodi controversiis, semel atque iterum quum fecisset, *Argenidis* ficta narratione ornataque oratione magis illustrari posse putavit, et nonnihil pretii argumentis ex elegantia verborum illecebrisque fabulæ fore credidit. Multas igitur per ambages ad politicam rem tendit *Argenis*, et tota fere circa optimam regnandi conditionem vertitur. De qua quid senserit ille, nunc diligentius perquirendum.

Nusquam sententiam apertius patefecit Bar–

claius quam quum Anaximandrum Nicopompumque de aristocratia, de democratia, deque monarchia inter cœnam copiose disserentes introduxit. Hic acerrimus regalis potentiæ defensor, principumque familiaris deprehenditur. Nam, quum a convivis vulgare cœpisset agitari argumentum ecquod inter homines esset æquissimi imperii genus, nec dubitavisset Anaximander regiæ auctoritati seu popularem, seu senatoriam potestatem anteponere, pervulgatisque rationibus rem docuisset, Nicopompus alteram partem, regumque causam tuitus est. Contendebat sub populo fucatam, sub regibus verissimam esse libertatem, neque minus sub republica quam sub regno leges magistratusque esse quibus obtemperent homines; non interesse plures an pauci imperent, sed in utro regimine sanctius cives agant; ceterum, multiplicato numero dominorum, augeri serviendi vilitatem; argumentumque his verbis concludebat, quibus nihil desperatius excogitari posse fatendum est :

« Pone vero tam regnum quam rempublicam Principum vitiis tanquam affecta valetudine laborare; utribi faciliora exspectes ad publicam sanitatem remedia? Nimirum et Regem et ipsius vitia mors saltem de medio tollet ; poteruntque a suc-

cessoris indole sperari mitiora. At labem corrupti senatus non uniuscujusque mors eluit; sed afflicti semel mores in deteriora semper labuntur, donec publicam salutem suo casu obruerint [1]. »

At Lycogenes sicut cum Nicopompo sentiebat unius imperio rem communem melius geri, ita jus populo relinquebat ex omnibus civibus optimum deligendi, neque gentem ad unius familiæ servitutem adigi æquum esse ducebat.

« Cur, inquiebat, regnandi unam hanc artem præceptorum plenissimam, et ex cujus erratis omnium pernicies pendet, pueris tradimus; qui si hereditatis jure habent, ut regnent, nobis jure eodem ut pereamus relictum est? Huic quidem instituto ignosco, si putamus populos atque urbes gratia regum ipsorum conditas esse. Perdant enim illi quod suum est; ferantque populi illam sortem quam numina dederunt. Sin fatemur hanc tuendis gentibus dignitatem esse repertam, miror majores non cavisse, ne ex illa pejor interdum calamitas esset, quam quæ ejus beneficio prævertitur [2]. »

Haud insulse a Lycogene dictum est, sed quod

[1] J. BARCLAII *Argenis.* Lib I. c. 15.
[2] Id. *Ibid.*

omnibus displicuerit, præsertim quum Lycogenes
oratiunculæ finem imposuisset eum eligendorum
principum morem comprobando qui in sacris
comitiis servatur. Dunalbius igitur controver-
siam dirimit, nullumque nisi hereditarium re-
gnum esse posse docet, admonetque multa esse
quæ successionis utilitatem concilient : « impri-
» mis optimatum exarmandum esse ambitum
» ne in regni spem audeant ipsum regem violare.
» Ast, ubi fortuna regnandi stirpe in una conse-
» nuerit, adeo regum præteritorum reverentiam
» in posteris vivere, ut vel cunæ puerorum in
» purpuram natorum tacita confessione sortis
» nostræ nos tangant. Nec dubium quin grandius
» quiddam insinuetur illis ingeniis quæ ad re-
» gnandum a puero instituantur, dum is qui suf-
» fragiis in verticem rerum humanarum attolla-
» tur, nondum primæ immemor sortis sit in
» quam recidere heredes possint. Magnum inde
» rei publicæ detrimentum afferri. Quid au-
» tem de ipsa regum electione ? Nam in vividis
» gentibus quieta comitia cur sperarentur ?
Adde quod, regem facere assuetus, populus eum
amovere quoque non dubitet. Quibus aliisque in-
commodis spectatis, injuria accusatur nationum
sapientia quod se uni stirpi dediderint, ut tran-

quilliora magisque illustria apud se imperia essent [1]

Novum nullum maximæ disputatæ causæ argumentum attulisse Barclaium, liquet omnibus. Nam, verborum fucos si tollas, nihil aliud nisi tyranidem instituere Nicopompus Dunalbiusque orationibus suis videntur. Id autem eo minus mirandum est quod, quum morum facilitate atque ingenio aulicis urbanisque dissimulationibus æque apto Barclaius præditus esset, et quamvis triste quoddam invidiosumque regiæ potestatis simulacrum, Jacobo regnante, contemplatus esset, regiam tamen majestatem a concionantibus civitatum populique auctoribus impugnatam læsamque doluerat. Itaque regibus infinitam liberamque potestatem concedit legesque ex libidine condendas. Imo ita de vectigalibus, prout postulet tempus, exigendis, locutus est ut nihil amplius in tyranno desideretur. Testis mihi Poliarchus, id est perfectus optimusque. Barclaii sententia, rex, Hyanisben qui reginam hortatur ne populum ad tributa cogere dubitet. Etenim, regina fatente se non posse tunc ex tota gente concilium convocare, cujus necessaria sit

[1] J. Barclaii *Argenis*. Lib. I, c. 15.

tributis indicendis auctoritas, stupet Poliarchus *liberis* regnis assuetus, et Hyanisben vehementer impellit ut excutere annitatur pessimi moris jugum, quo sceptrorum *libertas* adstringatur. Quænam sit illa libertas, quam absentem in Mauritania requirit, effusius tum, incredibili quadam verborum licentia, explicat. Quid populus pati possit tentandum, edocet, magno quidem ipsius populi commodo, cui sæpe libertatis illuserit umbra, et tyrannici imperii arcana diserte detegit, quorum summa est omnia regi, modo bonus sit, licere, ut populorum utilitati consulat. Innumerabilia mitto, et ejusdem insulsitatis argumenta, quibus si quis imbutus fuerit imbecillus princeps, quo delabatur satis superque notum est. Ignoscendum tamen Barclaio : de regno deque rege cum multis amplisque temporis sui scriptoribus non dissentiebat, scilicet summam divinitusque institutam potestatem inesse regi, et illum arbitrii sui totum esse. Quæ si præcepta, quippe nimium antiquitatem redolentia, alicui minime placeant, rectissime a Barclaio conclusum saltem fatebitur, in iis quæ de regno bene administrando monuerit.

Quum enimvero in hoc laboraret præsertim ut factiosorum multiplices artes exponeret, quoque

modo isti in titulum publicæ utilitatis res privatas prætexere soleant, nunc se insontes a rege proditionis insimulari destinarique suppliciis, nunc nova portoria vectigaliaque et alia prædandi vocabula quotidie excogitari, nunc exanimati regni sanguine paucas hirudines expleri, et novis hominibus exercitus præfecturasque mandari dictitantes, donec coercendam tyrannidem eorum qui principis facilitate abutantur, aperte clament, voluit et Barclaius hujusce mali remedia principi proponere et viam ostendere qua nimiæ potentiæ inquieti viri a spe sua detrudi possent. Princeps oportet igitur patientiam præ se ferat, et ubi patientia non profecerit, expediat arma; bellum idem interdum abrumpat, pacemque faciat vel inducias, ut factiosi disjungantur ægre in unum redituri. Ita fiet ut novis artibus spatium futurum sit quo vel inter se commissos, vel consenescente factione, apud populum exosos sua impietas perdat, aut certe turbine rerum novarum defessi ipsi se ad reverentiam majestatis recipiant. Interdum necessarium consilium erit, quod Oloodemi et Eristhenis supplicio proponitur, seditionum summa capita majestatis damnare, inque iis exempla facere. Hæc aliaque ejusmodi pertrita satis et magis obvia dicenti quam factu

facilia in toto opere exsequitur Barclaius. Quædam tamen definita magis amplectitur ex quibus neque ingenii acumen, neque rerum politicarum scientiam omnino ei defuisse intelligi potest. Ex his duo præsertim, unum quod arces castellaque ambitionis munimenta exscindantur, alterum vero quod magna imperia nunquam diuturna sint, ab eo ornatissime in orationibus Cleobuli ad Meleandrum disputata sunt. Nempe Meleandro (recens adhuc erat malorum imago), sollicito Cleobulumque consulenti, is de rei publicæ statu quid sentiat, declarare, et velut regni figuram exprimere non dubitat, in qua Galliæ civiles motus sub Carolo Nono, Henrico Tertio, Henrico Quarto, Ludovicoque Tertio Decimo, agnoscere non quidquam negotii sit. Lenitate Meleandri fatorum malignitatem in patriæ cladem abusam esse asseverat. « Illam facilitatem, illam indulgentiam in » magnates, illam Meleandri superiorumque re- » gum in eos profusionem prodidisse præcipuas » imperii vires, aperuisseque injuriis despectam » dignitatem. » Tum factionum cunabula ingeniumque percenset Cleobulus, atque animos optimatum describit qui « ut reverentiam sibi concilient, et quid possint, regem admoneant, quærunt offensionis materiem, et gratis ineunt

consilia in publicam pacem. Ceterum quæcumque illos occasio tollat, in rixam, viribus quas vos reges tribuistis succincti, mox clientes armatosque inveniunt. eo prolixius quod hæc secedendi facinora semper inulta sunt et plerumque præmia habent. Sic erecti, sic veluti in suo regno collecti, opimiora ad conciliandam pacem a vobis regibus extorquent, quam si ipsis obsequium et fides mansisset. Vestro interim auro, vestrisque stipendiis (quis ferat?), militant acies quas in vos educunt. Ærario vestro feroces aut rationem imperii deposcunt a vobis, aut regnandi modum præscribunt. Quid deinde ? Emitis pacem, reges : his prodest peccavisse... Majora sunt vulnera quibus viscera patriæ lancinant illi mores. Robur enim maximæ gentis, et cui, si hæc absint incommoda, nulla non cesserit, hic assiduus et pestilens ventus affligit. Pereunt urbanæ et rusticæ opes, quascunque provincias turbo afflaverit. Consumitur impetus animorum, et prudentum quos multos habemus solertia, digna orbi imminere, his domi pacandis tota vix sufficit. Instituuntur præterea animi juventutis ad audaciam et contemptum majestatis, infandamque dulcedinem belli civilis, in quo furor et aviditas subitas pugnas et præsentia præmia habet. Ita domestico

facinore marcescit quicquid ad terrorem exterorum Dii Siciliæ nostræ tribuerant [1]. »

Non hic fabula, historia verius refertur, cujus in iidem multa quum testimonia possent adduci, sufficit ut, non sine pactionibus quibusdam, regni pacem Henricum Quartum a plurimis provinciarum rectoribus emisse memorem.

Coalescentibus malis id unum remedium afferri posse Cleobulus censet si *stellæ*, hoc est præfecti, premantur, quas lucere licet, dum meminerint cui soli lumen hoc debeant, nec caliginem regio orbi faciant. Quanam ratione id fieri possit, in aperto est. Primum numerosiores Siciliæ arces evertendas putat, utpote quæ non inutiles solum sed etiam incommodæ sint, et plus præsidii factiosis quam munimenti regibus semper præbuerint. Raro enim, siciliensi populo mentem fuisse in reges consurgere, nec ullum civile bellum aut ab externis illatum esse, in quo non istarum arcium plurimi rectores a sceptro defecerint. Quod ne ii quidem dissimulant qui post factiones ad fœdera cum rege descendunt, dum

[1] J. Barclaii *Argenis*. Lib. III, c. 4.

arces in salutis pignus efflagitent. Non ideo damnandam Cleobulus existimat majorum disciplinam a quibus conditæ sunt arces. Olim enim nondum Siciliam in unum coivisse. Nunc omnia bello, hereditate, fœderibus, in reges Siciliæ deos retulisse, ea felicitate ut neminem reperias cui » carius non sit commune Siciliæ nomen quam » angustum provinciæ in qua est natus. »

Dicet aliquis his verbis futura providisse, non præsentia delineavisse Barclaium. Haud absurdum tamen erat id ex parvis initiis augurari, ut mox in unum Galliæ regnum coalesceret.

Alterum præterea, forsan et certius remedium contumaciæ in hoc esse ponit Cleobulus, ut paucorum annorum præfecturæ sint. Quum enim ex more in longum et stabile imperium permittendi provincias multa mala fluxerint, præfectosque, velut totidem regulos, venerari populares assueverint, ipsique rectores sibi regum jura arrogaverint, nihil amplius restare ille arbitratur nisi princeps, quotiescunque eorum aliquis decedet, novis legibus successorem constituat, nec ultra triennium potestatem ei concedat, imo in plures dividat liberalitatem.

Hæc de Siciliæ regno Cleobuli sententia obver-

sabatur nimiis fortasse *Argenidis* laudatoribus, quum celeberrimum civilisque scientiæ peritissimum ducem, Richelium, Barclaii discipulum exstitisse jactarent. Paribus consiliis profecto rem publicam capessivit apud nos quondam magnus ille vir. Provinciarum enim rectores quum legum suarum adversarios regisque potestati maxime infensos invenisset, inque ipsius perniciem sæpe conjuratos deprehendisset, quo modo vinculis, exsilio et morte mulctaverit factiosos duces, omnes tenent, donec in locum male animatorum in se hominum, fidissimos quosdam substituerit. Nempe præcepta sequebatur Cleobuli in hunc modum Meleandrum monentis :

« Fere necesse videbatur alicujus sanguine lui hoc crimen. Extorsit atrocitatem remedii a tua bonitate cum Oloodemo Eristhenes; et infelix vindex Lycogenes, ceterorum animos aliquandiu sui memoria tenebit. Quisquis autem temporum istorum oblitus, in hunc ludum primus descendet, ocius hominem preme, non tardis, non incerta consultatione libratis conatibus. Ipse tibi expeditionem desume, ne tuorum ducum prævaricatio illam causam inutili mora conficiat. Si audebis, si non cunctaberis, multi majestatis reverentia capti tuum auspicium sequentur; qui

dubitare incipient de suo officio, si et videberis deliberare an impune possis offendi. Tunc nitendum, ne timida remissione spirituum videaris istorum temporum oblitus, aut veniam petere exstincti Eristhenis. Consentias cum impetu isto, ut tuus esse potius videatur quam fortunæ. Fœdera, leges, pacta, cum armato rebelli nec audi. Unum sit pœnitenti remedium, si supplicet, si supercilium ponat, si se et causam damnet. Lenitatis tuæ erit sic composito indulgere; nisi nimis perniciose erraverit, aut in necessitatem distulerit pœnitentiæ larvam. Sed ignosce ea lege, ut aliquid ipsi in mulctam decedat. Si provinciam a te habet, partem ex ea deliba quam alteri tradas; si arces aut suas, aut regias, unam ex iis futuræ fidei pignus cape. Timebunt alii spolia dare ad regiam gazam, qui nunc contrario voto æs, fasces, præsidium audent in pretia pacis exigere. Cave autem dare hos reos precibus cognatorum, qui apud te in illos militarint. Nam vix ulla vulgarior fraus est, quam istorum optimatum, non studio, non vero affectu, sed veluti sordibus, se in adversa dividentium castra. Fratres, affines, patrueles, hic pro te, ille cum factiosis stabit; ut victoria aut favore in utramlibet fortunam securi sint. Hos te maxime sus-

pectos habere æquum est, o Rex; et si anxie pro cognatis suis orant, propemodum hostes [1]. »

Hæc Richelio placuisse et libenter credam, et ex annalibus constat. Cleobuli sententiam de arcibus evertendis ei non minus placuisse testatur celeberrimum edictum anno millesimo sexcentesimo vicesimo sexto promulgatum, quo pleraque per Galliam castella funditus everti jubebatur. Imo Cleobuli oratio, quoad ad arces pertineat, non omnino indigna videtur quæ in concilio habita fuerit quod eodem anno Ludovicus Tertius Decimus convocaverat, ut rebus publicis consuleret [2]. Nihil hac pagina significantius, quam integram transcribere, operæ pretium est :

« Tot equidem arces, si non incommodæ essent, sed duntaxat inutiles, tamen everti consulerem. Nunc quum ad earum custodiam et sumptus, et pericula, et plerumque pernicies accedat, quid ad nostra utique damna misere obstinati, illas diutius servamus, aut in quos denique hostes arbitramur valituras? In externos, an vero populares? Atqui externi iis satis excluduntur quas

[1] J. Barclaii *Argenis*. Lib. III, c. 4.
[2] Assemblée des notables de Paris.

in finibus regni portubusque substruximus; harum utilitatem nihil sollicito. Satis virium illic nobis, satis moræ externis est; qui deinde si qua per objices illos perrrumpent, nostris exercitibus excipientur, oppidisque passim objectis, quæ crebra, nec adeo invalida habemus ut primo hostium impetu diripi possint. In vim peregrinam illa suffecerint. Domi autem quos timemus? Num populum, et incolas civitatum? an non potius magnatum ambitum, inquieto utique genio strictum semper ad audacis novitatis pericula? Raro, populo tuo mens est in Reges consurgere. Vesania qua nuper intumuit, prope sine exemplo est; sed nec illa, ut expertus es, tot arcium cautione de quibus jam disceptamus, aut præverti potuit, aut saltem cohiberi; ut inde has munitiones intelligas non tibi, rex, asserere oppida, in quorum stant cervicibus, sed ea præsidiariorum præfectis tradere in certissimam servitutem, qui sæpius cives invitos stare in regem coegerunt, quam rebelles aut dubios traxerunt ad regem; adeo ut quoties sibi postulant arcem credi, videatur hæc eorum tacita esse oratio: Trade compedes, o rex, quibus obnoxium arci oppidum mihi devinciam. Captivos habeam cives; quicquid repugnes, et quantumcunque hi nolint,

serviant imperiis meis. Sub munitionibus istis tremat circum provincia. Isthic recipi, hinc effundi possint armati. Regnum denique minus in ampliori tuo mihi constitue [1]. »

Unam quoque de Hyperephaniis sententiam Barclaio Richelioque fuisse commonstrare in promptu est. Ambo etenim, rectius quam plerique ejus temporis homines de novæ religionis fautoribus augurati, id tantum cavendum ducebant, ne in « ampliori regno » minorem rempublicam, (quod quin fieret non multum abfuit) constituere conarentur, ceterum dum se innoxios præstarent, eos peculiaribus suis sacris uti, quantum res sineret, patiendum esse censebant. Quid ad pacem regni confirmandam ejusmodi consilia valerent, non nunc agitur; a Barclaio certe vindicata, usurpataque a Richelio fuisse nullus est qui negare possit, præsertim si Meleandrum meminerit Hyperephanios monentem ne majora sibi jura tribui censeant quam ceteris civibus, et Ibburranem in hunc modum, cum Archombroto de Usinulcæ discipulis loquentem :

« Si quid vero ipse sentiam quæris, neque cum

[1] J. Barclaii *Argenis*. Lib. III, c. 6.

illis pacem neque bellum simpliciter volo. Nam si quietem possunt pati, non hos puto ullis motibus sollicitandos. Sin in regem remque publicam seditiosis consiliis sponte insurgent, ferendos non arbitror; sed vi armisque premendam vesaniam superbe furentium. Pia tunc arma, tunc omni laude digna in eos severitas. Totis regni viribus enitendum ne impune auferant abominandi in reges exempli audaciam. Et eo quidem celerius vindicandum est facinus, quo ipsi ferocius solent grassari in cunctantes, nostramque patientiam pro imbecillitate contemptim accipere. Neque enim hæc secta, ferendo, parendove (ut solent meliores disciplinæ) quærit sibi incrementa; sed jurgio, rixa, tumultu, sua facinora assuevit asserere. Ferro igitur, et plusquam æmula ferocitate, censeo in eos esse agendum, quoties suis injuriis Regem ac Patriam lacessent. At si seditionibus, si rebellio abstinebunt, patienturque mitius se haberi, tunc ego cum illis pacem malim. Jam ènim in plures serpit labes quam ut singuli inter reos scribi possint, et citari a lictore. Ac præterea juventute abundat Sicilia, quam nunc levitas, nunc egestas, nunc ipsa armorum cupido sic versat, ut non jure aut pudore æstimato factiosis

det nomina, et in militiam coeat quantumvis superis mortalibusque aversam. Ita multi dum armis certatur accedunt spe prædæ ad istos Hyperephanios, qui eos in pace devorent : et reges bello illato plures de novo reos faciunt, quam de veteribus exstinguunt. Præterea veluti fila per se tenuia ac soluta facile rumpas ; at si ea inter se violento implicas nexu quo fortius premis, eo validius stipantur, coeuntque denique in funem cui frangendo nunquam suffeceris. Sic isti per se forte negligentiores suarum partium, ubi intentatos jugulis vident enses, qui coactam, id est, ut existimant, pudendam pœnitentiam extorqueant, interdum furioso et quem ægre exsolveris nexu conjurant. Itaque pace, otio, regni felicitate (si ipsi importunis tumultibus ad arma Regem non cogent) debellandi sunt ; quo tempore nihil ex publicis latrociniis habent quod incertis et seditiosis auxiliatoribus largiantur ; neque incitati adversantium fervore, plurimum quoque de suo remittunt. Ex ipsorum deinde præcipuis multi ad Regem respiciunt ; ex cujus amicitia in illo sereno omnia pendent. Is autem si non tam odio quam contemptu prosequetur eorum disciplinam, efficacius omni bello nobilium animos ad pœnitentiam coget : qui si malo pudore pro-

hibebuntur suam sectam ejurare, saltem liberis suis consulent, magistrisque eos tradent per quos erudiantur ex veteri more vivantque in regia gratiosi. Nam qui cœlo, argumentis, veterumque præceptis, unam pertinaciam anteponunt, adhærentque Usinulcæ, vincentur, mihi crede, hoc honorum aditu, et spe regiorum munerum caute præclusa, præsertim si non hæ pœnæ legibus publice latis in eos constituantur (nam id ipsum satis iratis esset ad questus, conjurationemque et contumacia arma) sed lento quodam usu. Principisque ingenio nequaquam in eos dividentis rei publicæ munera quæ conferri aliis possunt, neque ferentis ut extra licentiam quam leges faciunt exerrent. Cetera sit in eos mansuetus, et interdum familiaribus verbis dignus ipsis videatur cui placeant.. Multi enim inter illos, Archombrote, non suo, sed sectæ et institutionis vitio peccant, absque hac esset, recta indole, paresque majoribus futuri. Hos, quum licet, corrigi mehercule præstat, quam everti, aut ad insaniora adigi necessitate. Ista vero utcunque lenta remedia, paulatim Hyperephaniis nervos exscindent: et qui specie altioris sapientiæ coaluerunt, tandem segni, nec irritata vetustate, philosophia quoque excussa atque contempta,

quæ exoriens tanti supercilii fuit, non ægre solventur [1]. »

Incepti nostri non est diligenter perscrutari an omnia quæ Richelius edixerit ut novæ fidei studiosos ad pacem publicam conciliaret, in hanc Ibburranis rationem apte quadrent. Sed, ni fallor, haud dissimilibus consiliis rem gessit ille qui Rupellam cepit. Rebellibus enim devictis, quum e religione ortis bellis finem fecisset edictum Nemausi promulgatum (1629), Richelius Calvinistis liberos ritus præstitit, ecclesiæque constitutionem inviolatam reliquit, abunde ratus eorum si diruerentur oppida, ipsisque omni de rebus publicis communi deliberatione interdiceretur. Profecto non alienum fuit, ut subigerentur, eos « honorum aditu » præcludi. Nonnulli sane « liberis suis consulentes, magistris eos tradiderunt per quos erudirentur ex veteri more, viverentque in regia gratiosi » Illos tamen comiter habere Richelius non dubitavit, et quosdam exercitibus præfecit, imo in Academiam suam accepit. Nec per eum stetit quominus inimicitiarum civilium vestigia paulatim abolerentur.

Postremum, non minimum tamen, vitium quo

[1] J. Barclaii *Argenis*. Lib. II. c. 3.

regnum laboret, scilicet judicum, patronorumque frequentem numerum, et longam litium prolationem, patefacit lacessitque Barclaius: de quo ita loquentem Ibburranem inducit :

« Ne putes levia hæc esse, Rex, quibus levari Sicilia exoptat: nescio an turbæ civiles quas modo sedavisti, furiosius sævierint; aut ne dubites quam ampla factione minentur hæc mala, non plures cum Lycogene coierant. Isti, inquam, advocati, patroni, scriptores lictoresque (nam Judices, quia eos constituis, vereor nominare) adeo numerum superant, ut pauciores sint agricolæ, pauciores qui in mercatura vertuntur, regnumve custodiunt. Unde vero tanta illa gens vivit, nisi ex injuria populi, ex clade et sanguine miserorum ?... Sed utcunque numerosi et aliqua contagione vicina omnia turbantes, saltem si brevi supplicio contenti mulctatos dimitterent. Nunc æterna sunt jurgia, ut si cum sumptibus sit molestiarum ratio, gravius putes sic vincere, quam confestim damnari. Illud est potissimum quod exigit tuam curam [1]. »

Tantis malis id remedium fore putat Ibburranes si sistantur judicibus illi ipsi qui inter se dissen-

[1] J. BARCLAII *Argenis*. Lib. III, c. 16.

tiunt, ne ab sola advocatorum fide res pendeat : si lege caveatur ne quid a clientibus patroni prius accipiant quam lis finem sortita [redacted]; si constituatur spatium ultra quod nullis litibus fas sit senescere ; si quicquid negotii oneratis judicibus superfluat, in peritos causarum patronos dividant.

Hæc aliaque ejusmodi, prudenter excogitata quidem, paulatim in consuetudinem recepta fuisse nullus est qui nesciat. At non nihil tunc novitatis præ se ferebant, quanquam non inaudita tamen. De quibus idem atque Barclaium sensisse Richelium, hujus magni viri Politico Testamento declaratur. Quidquid longo usu probatum fuerat, illico mutari posse non arbitrabatur, atque ideo corrigendorum judiciorum rationem, curamque posteris remittendam existimabat ; sed futurum esse tempus confidebat quum jus, sine ullo litigantium sumptu, diceretur.

Prorsus, exceptis iis quæ de summa regi auctoritate tribuenda, sui seculi morem secutus, minus argute edisseruit, Barclaius bene de rebus publicis judicasse videtur. Nil mirum igitur si Richelius illius inter discipulos numeratus fuerit. Non idcirco tamen putandum Richelio necesse fuisse a fabularum auctore consilia mutuari, quæ

ad administrandum imperium accommodaret : hæc enim, et majora quædam adhuc ex sensu suo expromebat. Sed nemini dubium esse potest quin, litterarum quippe amans, notum Barclaii librum libentissime evolverit, ejusque instituta, quæ politicam pertineant ad rem, saltem approbaverit.

CAPUT V.

De re morali in Argenide.

Non solum instituendorum principum sed etiam instituendæ vitæ morumque informandorum illustria documenta a Barclaio exprompta plurimi laudaverunt. Iis si credendum, nulla ditior *Argenide* alibi officina est, in qua omne, quum politicæ, tum moralis doctrinæ genus efflorescat, quo animi ad majora semper assurgant. Nusquam alibi sicut affectus accuratius discuti, acrius castigari, strictius coerceri, ita cupiditatum insolentiam, luxum ac ceteras animi pestes potentius exagitari prædicant. Neque aliud fere quidquam *Bugnotium* impulit, litterarum non contemnendum doctorem, ut ad juventutis usum annotationibus *Argenidem* illustraret, discipulisque alteram velut Æneidem evolvendam proponeret.

Hanc autem sententiam, plus æquo studii habere quum sit perpiscuum, infitiandum tamen non est puris aquis scatere *Argenidem*, atque a Barclaio nihil præberi unde mores corrumpi possint. Ejus enim castitatis Poliarchi et Argenidis amores sunt ut vel minima corruptelæ suspicio absit; nec quidquam legas aut turpe factum, aut improbe dictum quod crimini vertatur. Sed non satis est si, quum omnia, ut ita dicam, pudorem virtutemque redoleant, postremo pœnis affecti mali homines, boni vero præmiis aucti evadant. Quid de Deo, quid de religione scriptor senserit, lectorem non nescire oportet.

Porro non ulla cujuslibet generis superstitione obligatum fuisse Barclaium suspicor. Certe inanem scientiam, qua ex siderum observatione ventura prædici solebant, salibus consectatus est et tam multis argumentis lacessivit ut tum adhuc mathematicos floruisse appareat. De Numine vero, deque rebus divinis, minus expresse locutus est. Aneroëstum quidem induxit dicentem : « summam aliquam esse mentem, quæ omnia condiderit, ipsa lex solis nunquam exerrantis ab orbita, tum lunæ et ceterorum siderum ordo totiusque naturæ ingenium satis hominibus persuadet quos nec sapientiæ suæ superba opinio, nec brutis

animantibus pejor negligentia cæcavit [1]. » Solitariam, philosophiæque deditam vitam commendavit; sed utrum [redacted] immortales esse hominum animos, nec ne, crederet, nusquam patefecit. Nusquam in *Argenide* Elysios campos, nusquam Inferos invenias. Id autem eo magis notabile videtur, quod, quum epicæ quasi fabulæ speciem præ se ferat *Argenis*, multas res a proposito operis alienas amplectitur, quales et de insaniæ causis, et de Cyclopum inventis ossibus digressiones esse diceres. Adde etiam infinitas cærimoniarum descriptiones quibus, in titulum ornamenti usurpatis, non minima voluminis pars impletur. Frigidum nescio quid inde totum per opus manat. Nam præterquam quod hæc, nimium vulgata veteribusque a scriptoribus celebrata, legenti aliquantum tædii afferunt, nihil omnino de religione persuasissimum habere videtur auctor. Nam fatetur hominum animos, ac præsertim multitudinis, facile grandibus et insuetis rebus deos auctores facere; et unde miracula oriri possint, non illepida Selenissæ oratione docet. Nempe postquam Poliarchus, muliebri vestitu indutus, a Lycogene missos in Argenidem puellam sicarios,

[1] J. Barclaii *Argenis*. Lib. V, c. 12.

vi repulerat, conclamaverantque milites id ope Minervæ factum, cujus et speciem radiis fulgentem summa in arce suspexerant, Argenis, omnibus gratulantibus quod tamdiu habuisset domesticum numen, risum vix compescere poterat, ut quæ amantem juvenem in figuram Tritonidis credulo vulgi rumore conversum videret, neque errore liberare nescios auderet.

Idem de virtute dici potest quam ubique semper eamdem, et sibi constantem esse, his verbis negat Barclaius : « Multæ virtutes in vitia degenerant, et quod magis est, sæpe videas eosdem affectus, pro temporum sorte, nunc virtutes esse, nunc vitia. » Pulchre quidem dictum, sed quod cum scepticorum præceptis nonnihil commune habeat.

Ad summam, non est quod multa ex *Argenide* excerpantur sive in religionem philosophiamve Barclaii illustrandam profutura, sive quibus communis omnium scientia augeatur. Non desunt tamen concinnæ, atque e philosophiæ moralis parte, petitæ sententiæ, sed quæ magis verborum splendore, quam rerum novitate valeant. Qualis et locus iste quo principibus peculiarem conditionem et, ut ita dicam, tractabiliorem conscientiam inesse declaratur :

« Quoties ipsa fortunæ negotiorumque malignitas, reges ac principes viros summis illecebris, præmiisque invitat ad peccandum? Maxime quum ea occurunt, in quibus illud quod æquum est videtur discrepare ab eorum gloria, aut securitate regnandi? Tunc quidem simulare, ac fallere, et dissentire a suis utique verbis, egregium in regibus putatur; quasi dii quam ipsis imposuere mortalium regendorum provinciam, sine subsidiaria vitiorum scelerumque cohorte administrari non posse voluerint. Nunc vicinis et immeritis gentibus subjicere dissidia amant, ut occupatis et infelicibus aliis, ipsi certius vacent; nunc sociorum regum amicos largitione ad secretorum proditionem sollicitant. Quid mulctare interdum in cautionem innoxios, quasi crimen sit posse peccare. Quid vulgi negligere injurias, si bello utiles viri eas intulerint ? [1]. »

Non aliter aulica vitia præstringuntur, et inprimis adulatorium poetarum genus improbatur, quorum et indolem optime omnium noverat Barclaius, quippe qui ætatis suæ morem imitatus, nauseam facientia poemata, ut de præfationibus sileatur, non semel regibus ipse dedicavisset.

[1] J. Barclaii *Argenis*. Lib. V, c. 12.

Nam Nicopompo fatente omnes eo fato principes viros nasci, ut aliquid saltem pennarum ad hunc blandientium viscum relinquant, Dunalbius, publicæ rei studio motus, hoc modo respondet:

« Ita vero improvidi cives, dum vilitate laudandi unusquisque regnum vitia ad amicitiam sollicitatis, vos simul et illos miserrimos fieri non sentitis. Quanto enim incommodo vestro imperantes sic fingitis, ne quid eos pudeat; sed licentissime assuescant seipsos amare et mirari, utique postquam diu omnes eorum affectus adulatione et præconiis consecravistis. Illos autem, quantumcumque sibi felices sint, ego lacrymis dignissimos puto; nisi superessent his domesticorum insidiis, et ea colere ac probare solerter instituant, non quæ in ipsis alii laudant, sed quæ ipsi in aliis. Ceteros enim adeo sua purpura occæcavit, ut nesciant quod nemo præter hos ignorat; qui mores, quæ studia, quisve modus inter homines famam, aut veniam, vel denique odium ferat. Proh facinus! opulentissimæ venationis genus est explorare intimos regum motus, quo eos natura, quo cupiditas vocet, mox non diis, non hominibus æstimatis, quicquid amant aut volunt impense commendare; vel ut similitudine morum atque sermonum, iis placeas; vel ut sol-

vas eorum verecundiam, et gratias tibi debeant quod molliveris viæ speciem, quam ad vitia ducentem, obsitamque infamia, pudor prohibebat experiri. Quid miremur principes violenta adulationis procella inclinatos quo sponte jam volunt, iis vocibus credere quas solas accipiunt? Præsertim nemine ruinam sustinente ad quam tanta vis impellit [1]. »

Nihil hic, dicet forsan aliquis, nisi « crambe repetita » invenitur. Non indigna tamen hæc erant quæ juvenis principis oculis subjicerentur.

[1] J. Barclaii *Argenis*. Lib. III. c. 11.

CAPUT VI.

De fabula, de personis, de stylo Argenidis.

Hoc nobis peculiare munus assignabatur ut ingenium Barclaii, rerum publicarum studiosi, in lucem proferremus quum optimi principatus excellentissiman et plus quam humanam effigiem adumbrat. Sperabat enim, et quidem merito, fore ut diu meditata et docte exprompta regendorum populorum scientia in admirationem sui populares suos adduceret. Nunc autem disserendum est de re commenticia, de personis personarumque moribus; in qua operis parte inceptum minus successit.

Quamvis plurimi fabulæ œconomiam laudaverint, hoc primum maxime totius operis summa turbatur quod tam longinquo ambitu circumscribuntur res, ut vix eas amplecti vel attenta mens possit. Confundimur enim ab initio, et

personarum numero, et eventorum frequentia. Juvenem quemdam, navigii malis insuetum, in arena jacentem intuemur. Quis autem ille sit, nescimus; nempe in *Argenide* lectori omnia scire non licet. Virgini cuidam regiæ, nuntiata morte Poliarchi, in lacrymas effusæ adsumus; amoremque, non immerito, suspicamur. At quibus initiis iste exortus sit ignorabimus, donec nutrix, peropportune garrula, commissa fidei in medium proferat. Interea nihil obstat quominus in hunc terrarum orbem a cœlo delapsum fabulæ heroa Poliarchum putemus. Quis ipse sit, quaque stirpe oriundus, ex quarto libro tantum, et forte fortuna, audimus. Per diversas incertasque regiones, per maria quoque sine ulla intermissione trahimur; qua de causa, non satis apparet. Adde quod narrationis seriem multa, et intempestiva quidem morantur, hebetantque legentis acumen. Nam ut Aldinæ catellæ mortem prætermittam, quam Romæ a poetis, Barclaii amicis, Sciopii domum celebrantibus, nobilitatam volunt quidam, amentia Heraleontis, per errorem pro Poliarcho in regiam adducti, quid ad rem refert aut quid Arsidas cruditate laborans, quum poma nova stomacho licentius ingessisset? Varietatibus distinguendum opus esse fatentur omnes, sed

proposito apte cohæreant oportet. Alia istiusmodi exempla referre infinitum esset. Mitto jam naufragia atque invicem raptas, recuperatasque arculas. Mitto sacrorum descriptiones, et sive magnorum exercituum, sive singulorum bellatorum prælia, ducumque ad militem orationes, bellorumque insidias. Quibus in cunctis ornamentis, sicut veterum mores institutaque ad unguem reddidit, ita nihil proprium expressit, et plus curæ ostendit quam ingenii Barclaius. Mitto et alienis sub nominibus usque ad finem latentes personas, atque inopinato agnitas, et cetera litterariæ industriæ artificia a quibus tunc auxilium præsertim petiisse, non sine vulgi assensu, fictarum rerum auctores non nescius sum. Has autem artes revera illius temporis ab hominibus usurpatas fuisse, ut propositos fines assequerentur, traditur memoriæ. Suppeditant exempla, inter quæ commemorare libet Carolum, britannum principem, qui eodem ferme tempore (1623) cum Buckingham comite, sub ficto nomine gallicam regiam penetravit, atque ibi, dum saltatione solita movebantur aulici feriasque agitabant, quis ille esset ignorantibus omnibus, nobilem puellam tunc primum contemplatus est quam deinde ducturus erat. Tantum abest autem ut Bar-

claio vitio vertatur quod nimium ejusdem generis commentis indulserit, ut potius in excogitando satis tardus videatur. Nam nunquam assurgit, et semper eodem, quasi in exiguum gyrum compulsus, revolvitur. Inde fit ut in prima *Argenidis* parte, novis adhuc viribus, et politicarum rerum memoria innixus, præstantius ingenium præbuerit quam in secunda, quæ ita perfunditur oleo ut inveniendi copiam scriptori sæpe defuisse diceres.

Non igitur illis fabularum commenticiarum scriptoribus Barclaius est annumerandus qui in innumera voluminum serie feliciorem ingenii sui proventum congesserunt; nec *Astræa* magistra usus est. Parum enim constat utrum ea opera legerit, necne, nedum ea fuerit imitatus. Vix quædam cum *Arcadia* Argenis communia habet quamvis in hac Poliarchus, in illa Pyrocles idem consilium struant femineas vestes induti. Iterum atque iterum Achillis fabula apud Lycomedem, mutato nomine, narratur. Imo vero Barclaius non fabulatur ut ingenio suo indulgeat, nec narrationum suarum illecebris capitur detineturque. Longe alia ei sententia est, et longe alio spectat. Fabulam fingit ut personæ lectores doceant quid de rebus publicis, quid de propriis populorumque

et regum officiis scriptor ipse sentiat. Ideo Barclaius parum curat utrum actores comicam personam recte gerant, necne, dummodo scriptoris eruditi et rei publicæ periti partes bene tueantur.

Personas ipsas vero neque ad antiquitatis, neque ad sexti decimi seculi exemplar informatas video. Quum enim commenticiarum fabularum scriptores temporum suorum vel quales essent, vel quales esse debuissent, mores effingere semper adorirentur inauditasque, et minime verisimiles res congererent, recreandisque legentibus studerent, iis Barclaius monendis potissimum studuit et facta tantum excogitavit quibus personæ, personas vero quibus virtutes vitiaque in lucem producerentur. Nam, verum ut fatear, ad imaginum vanarum potius quam ad animantium similitudinem exprimuntur in *Argenide* homines. Virtutum, vitiorumque inania simulacra in scenam inducuntur, quibus partes assignavit Barclaius in medium proferendi quod omnibus de rebus ipse sentit; non viri autem, non feminæ loquuntur aguntve : umbras spatiari putares. Nec multa disquisitione opus est ut, quæ sint, appareat.

Sit ab Argenide ipsa, Selenissaque et Hyanisbe

principium, quarum si colloquia diligenter percensuerit aliquis, ne colloquia quidem, sed magis excultas orationes, easdemque minime muliebres esse arbitrabitur. De rebus publicis, de aulicis artibus diserte disputatur ab illis ; affectus vero animi , nisi lacrymis significare non possunt. Cunctis earum sermonibus unus et idem tenor, ut ægre a virgine loquente matrona, a regina nutrix discernatur. Non ita profecto loquebantur nobiles illæ feminæ, quæ nunc adhuc vivere et spirare videntur, sive in annalibus, sive fictis in narrationibus quas a mulieribus quoque compositas accepimus. Scilicet libris controversiisque civilibus dum omnem curam impendisset, nunquam tantum Barclaio vacaverat ut cum feminis conversaretur, earumque animos perspectos haberet.

Melius sane viros, ut notiores, pinxit, præsertim quum eos de publicis rebus disserentes introduxerit. Nec, exempli gratia, Villaregium nostrum a Cleobulo, vel Barberinum, legatum a latere, ab Ibburrane repræsentari, ipsis dedecorum putem; nam et civilis scientiæ peritos et disertos homines illos instituit Barclaius. Non quod tamen aliis, Meleandro et Radirobane exceptis, in dicendo facultas desit : nati omnes ora-

tores esse videntur. At dum causidicorum vice funguntur et magnam ingenii sui movent admirationem, sese homines præbere minime curant, et quidem eo tempore quo ii omnes de quibus memoriam accepimus, maxime homines fuisse constat. Etenim quid in Poliarcho hominis est? Quantum distat ab illo Bearnano rege, cujus ad exemplar excogitatus habetur, qui nihil dicebat faciebatve quo non se vivum, et virum, et regem esse testaretur! Quid refert quod omnibus virtutibus præditus sit, vitiisque careat Poliarchus, si nihil nisi species quædam oculis subjicitur? Quid quod Radirobani aut Lycogeni mala abunde omnia sint, quum ligneolas hominum figuras velut in scena tantum exponi intelligatur? Quid de Meleandro qui magis comico patri cuidam, quam vel imbecillo tyranno similis, semper quo se vertat nescit, et potius Prusiæ regis (pace dicam Cornelii!) quam Henrici Tertii refert vultus?

Radirobanes vero, qui cupiditatum impotens princeps proponitur, stultitiæ et documento esse potest. Mirum ni risus, potius quam metus ejus facinoribus commoveatur. Quanto magis verum trucemque se profert *Bocchoris* ille quem noster Fenelo, quasi quoddam exemplar esse voluit malorum quibus nimia effrenataque regum potentia

obnoxia est ! Idem de Lycogene, a quo nullius certi viri indoles, sed rebellionis spiritus factionumque color describitur. Adde quod in tanta personarum turba, non vix ulla est quæ non parem quamdam alteram inveniat. Poliarchum mira similitudine exscribit Archombrotus, præterquam quod Argenidi gravis est ; nec, sublatis nominibus, Arsidam a Gelanoro, vel Timonidem a Gobrya discerneres. Nihil inter se differunt ; factis tantum internoscuntur; adeo ut Barclaium semper post siparium adesse sentias.

Itaque quod ad mores vivendique genus attinet nullum in *Argenide* locum habet. Omnia, aut incerta sunt, aut ex antiquitate adscita. Nulla temporum, rara locorum mentio facta est. Elephantos ad vincendum adhibet Radirobanes ; libertis servisque utitur Poliarchus; at quem ad finem, non liquet ; nam paucis prætermissis quæ de Timocleæ hortis, quæque de festis diebus, vel de ejusmodi rebus descripsit. Barclaio non cordi fuit antiquorum recentiumve hominum vitam, artes, habitumque et sermonem in *Argenide*, velut in speculo, reddere. Nihil igitur legenti occurrit quod sive sexti decimi seculi, sive cujuslibet ætatis moribus congruat :

Errant exsangues sine corpore et ossibus umbræ.

Hæc, magna quidem, Barclaiani operis vitia, styli virtutibus emendata esse multi sane existimaverunt. Licet enim doctissimi viri [1] plus quam mille et quingentos errores in argenidæo sermone reprehenderint, licet et dictum fuerit Sallustium, ad vitam modo revocaretur, istius linguæ omnino expertem fore, non possum quin ubertatem Barclaii variamque scribendi artem admirer. Nam ut insignis britanni scriptoris [2] verba usurpem.

[1] Sorel : *Le Berger extravagant*. Remarques sur le XIII[e] livre.

Isla (Jean). *Historia del famoso predicador Fray Gerundio*. Madrid, 1758. Lib. I, p, 71.

[2] Heaven forbids that this work should not exist in its present form and language ! Yet I cannot avoid the wish that it had, during the reign of James I been moulded into an heroïc poem in english octave stanza or epic blank verse.

It absolutely distresses me when I reflect that this work, admired as it has been by great men of all ages, and lately, I hear, by the poet Cowper, should be only not unknown to general readers. It has been translated into english two or three times — how I know not, wretchedly I doubt not. It affords matter for thought that the last translation was given under another name. What a mournful proof of the incelebrity of this great and amazing work among both the public and the people..... Yet Telemachus is in every mouth ! It is awful to say of a work like the Argenis, the style and latinity of which, judged (not accordingly to classical pedantry, which pronounces every sentence right which can be found in any book prior to Boetius, however vicious the age or affected the author, and every sentence wrong, however natural and beautiful which has been of the author's own combination) but according to the universal logic of thought as modified by

injustus ille criticus foret qui quidquid ante Boetium scriptum sit bonum, quidquid autem a posterioribus scriptoribus excogitatum fuerit, malum esse pronuntiaret. Sed si quanta arte et auctoritate sententiæ ordinentur, quanta libertate semper, flumen velut orationis evolvatur, si nervos, brevitatem et perspicuitatem elocutionis in *Argenide* attenderis, ignoscendum iis senties qui nimia facilitate peccaverunt atque eodem Livium, Tacitum et Barclaium retulerunt. Quantiscunque enim vitiis abundet genus id dicendi, hoc præsertim præstat quod vividum est atque adeo spiritus plenum, ut latinum sermonem pa-

feeling is equal to that of Tacitus in energy and genuine conciseness, and is as perspicuous as that of Livy, whilst it is free from the affectations, obscurities, and lust to surprise of the former, and seems a sort of antithesis to the slowness and prolixity of the latter; — (This remark does not however impeach even the classicality of the language, which, when the freedom and originality, the easy motion and perfect command of the thoughts, are considered, is truly wonderful) — of such a work it is awful to say that it would have been written in english or italian verse !

(*The literary remains of S. T. Coleridge, vol. I. London, 1836.*)

The work I mean is Barclay's Argenis; and if ever you allow yourself to read for more amusement, I can recommend it to you as the most amusing romance that ever was written..... The style too appears to me to be such as would not dishonour Tacitus himself.

(*William Cowper's letter, to Samuel Rose*)

trium habuisse et omnis alius linguæ expertem fuisse *Argenidis* scriptorem contenderes. Quæ quidem laus, sicut maxima, ita non multis ex iis qui eodem tempore latine scripserunt tribuenda est. Testis et mihi Grotii de Barclaio distichon :

> Gente Caledonius, Gallus natalibus, hic est
> Romam romano qui docet ore loqui.

De versibus autem, quos numerosiores orationi admiscuit ille, silere satius est. Etenim, præter id quod rerum ordinem plerumque morantur, et tanta verborum nominumque congerie laborant ut quasi de industria, in eos omnes Olympi deos, deasque, et semideum pecus insuper intromisisse videatur poeta, non quidquam præbent quo emineant.

Non defuerunt Barclaio imitatores, a quibus primæ *Argenidi* aliæ quædam semper adderentur. At nullus ejus discipulus exstitit, nisi Fenelonem, magistro sane majorem, talem haberi placeat. Quid autem inter Telemachum et *Argenidem* intersit, magis perspicuum omnibus est quam ut explanetur. Id unum commune habet utrumque opus, quod rem politicam persequatur. Quum enim

instar Iliadis aut Odysseæ opus suum scripserit Fenelo ita ut poemati nihil præter metrum deesse videretur, atque, ut ita dicam, antiquitatis expresso succo librum imbuerit, nihil a veteribus mutuatus est Barclaius, nisi linguam et vocabula quibus propositum tegeretur. Poetica facultate ornatus ille longos jucundosque herois errores narrat fabulisque præcepta intexit; hic vero oratoris partes suscipit et agit causam. Ille vivos spirantesque homines inducit: hic satis habet si concionantes vel disserentes personas tantum obtulerit. Alter causidicus est, dicendi peritus, qui multa perlegit et diu vixit inter regis familiares, qui

« ..... Multorum providus urbes
Et mores hominum inspexit..... »

Deest tamen ea vis ingenii qua scriptor, Pygmalioni haud impar, has vita donat personas quas divina arte informavit Alterius autem in fabula non inanimæ figuræ, non inanes umbræ, sed vivæ personæ per locos lætos et amœna vireta versantur.

Id tamen Barclaio laudi detur quod, neminem imitatus, novum, quanquam enorme, fluxumque

scribendi genus excogitaverit, et primus ea, quæ ad communem omnium salutem felicitatemque pertinent, eleganter agitari posse, urbanorumque hominum more, nec sine lectoris oblectatione docuerit. Cui si merito et civilis scientiæ aliqua fama accedat, veniam fortasse habebit hæc mea de Argenide Barclaii dissertatio, quam quidem nunquam instituissem, ni Barclaius, a Britannis semper honoratus, is fuisse mihi visus fuisset qui non apud nos iniqua oblivione sepeliretur.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum in Sorbona.
A. D. XIV Cal. April. ann. MDCCCLXXIV.
Facultatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus
PATIN.

Typis mandetur
Academiæ Parisiensis rector.
A. MOURIER.

INDEX

Prœmium 1

Caput I. — De Barclaii vita 3

— II. — De Argenidis dispositione 31

— III. — De Argenidis interpretatione 41

— IV. — De re politica in Argenide 53

— V. — De re morali in Argenide 77

— VI. — De fabula, de personis, de stylo Argenidis 85

ERRATA

Pag. 6, lin. 16 pro *hæresem* lege *hæresim*.
Pag. 6, lin. 18 pro *solus* lege *solum*.
Pag. 13, lin. 16 pro *erit* lege *sit*.
Pag. 19, lin. 4 pro *pratermisit* lege *prætermisit*.
Pag. 20, lin. 9 pro *imagine* lege *imagine illa*.
Pag. 22, lin. 9 pro *et nihil* lege *nec quidquam*.
Pag. 25, lin. 10 pro *Ad* lege *At*.
Pag. 26, lin. 4 pro *erit* lege *sit*.
Pag. 28, lin. 16 pro *scriptoribus* lege *a scriptoribus*
Pag. 31, lin. 3 pro *sunt* lege *sint*.
Pag. 35, lin. 19 pro *amicitias* lege *amicitiæ*.
Pag. 38, lin. 7 pro *Siciliam* lege *in Siciliam*.
Pag. 41, lin. 4 del. *melior que*.
Pag. 53, lin. 2 pro *prætextus* lege *prætextum*.
Pag. 53, lin. 2 pro *prostremo* lege *postremo*.
Pag. 64, lin. 21 pro *nisi* lege *nisi ut*.
Pag. 75, lin. 3 pro *his* lege *iis*, pro *erit* lege *sit*.
Pag. 79, lin. 3 pro *an* lege *utrum*.
Pag. 95, lin. 14 pro *Olympii* lege *Olympi*.
Pag 58, lin. 6 pro *tyranidem* lege *tyrannidem*.